START

Reel Contents

1. Wennemer, J. / De Pacuvio inprimis de eius Antiopae, Dulorestis …
2. Plato / Platonis Phaedo suethice redditus
3. Ostermayer, F. / De historia fabulari in comoediis Plautinis
4. Pauer, P. / De rerum ab Agricola in Britannia gestarum narratione …
5. Voretzsch, H. B. / De inscriptione cretensi qua continetur lyttiorum …
6. Vorlaender, W. / De Catvlli ad Lesbiam carminibvs …
7. Tyrwhitt, T. / Dissertatio de Babrio fabularum Aesopearum scriptore …
8. Unger, R. A. / Libri primi Thebanarum rerum specimen
9. Urlichs, L. / Skopas in Attika
10. Fritzschi, F. V. / Quaestiones Lucianeae …

Reel Contents (2)

11. Hyperides / Hyperidis orations duae ex papyro Ardeniano editae
12. Schneidewin, F. W. / Diana Phacelitis et Orestes apud Rheginos ...
13. Seyffert, O. / Quaestionum metricarum particula ...
14. Weyland, P. / De Nubibus Aristophanis
15. Wichers, R. H. E. / Dissertatio historico-literaria inanguralis ...
16. Wellmann, E. / Die Philosophie des Stoikers Zenon
17. Weissenborn, E. / De adiectivis composites Homericis
18. Sudhaus, S. / Prolegomena ad Philodemi Rhetorica, dissertatio ...
19. Naber, S. A. / Specimen philologicum inaugurale de fide ...
20. Wagner, F. W. / De Evenis poetis elegiacis eorvmqve carminibvs

Reel Contents (3)

21. Volckmann, E. / De Herodiani vita, scriptis fideque : dissertatio ...
22. Völker, C. C. C. / Commentationis de C. Cornelii Galli Foroiuliensis ...
23. Volkmann, R. E. / De Nicandri Colophonii vita et scriptis
24. Weclewski, S. / De Sophoclis Oedipo Rege commentatio
25. Weber, G. / De Gytheo et Lacedaemoniorum rebus navalibus ...
26. Wimmer, H. / Observationes Livianae
27. Voelkel, H. / De Chaucorum nomine sedibusque ac rebus gestis ...
28. Zenzes, J. / De dionysio minore syracusarum tyranno
29. Ziegeler, E. / De Luciano poetarum judice et imitatore
30. Zanolli, A. A. / De Pseudophocylidea

Reel Contents (4)

DE PACUVIO

INPRIMIS DE EIUS

ANTIOPAE, DULORESTIS ILIONAEQUE FRAGMENTIS.

COMMENTATIO PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ORDINIS AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
IN
ALMA ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI
UT
SUMMI IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXI. MENSIS DECEMBRIS MDCCCLIII
PUBLICE DEFENDET
SCRIPTOR

IOSEPHUS WENNEMER
ELTENSIS GUESTPHALUS.

MONASTERII.
TYPIS ASCHENDORFFIANIS.

I.

De Pacuvii vita et moribus.

Marcus Pacuvius [1]) poeta natus est Brundusii, urbe Calabriae haud procul ab Ennii patria Rudiis sita, cuius sororis erat filius. [2]) Annus, quo genitus est, certo potest definiri. Apud Ciceronem enim Brut. 44. Attius iisdem aedilibus se et Pacuvium docuisse ait fabulam, quum ille octoginta, ipse esset triginta annos natus. Atqui Attius natus est Serrano et Mancino Coss. A. U. 584. a. Chr. n. 170. teste Hieronymo in Chron. Euseb. Ol. 140. Pacuvius igitur anno ab urbe condita quingentesimo tricesimo quarto, ante Christum natum ducentesimo vigesimo in lucem est editus. Quibus parentibus sit usus, a quibus institutus, ad quod usque tempus in patria urbe vixerit, de his et similibus rebus nihil memoriae proditum est. Romae, quo postea se contulit, simul cum poesi picturam exercuit, idque non sine laude. [2]) Illustribus illius tem-

---

[1]) Nomen Pacuvii Osca esse origine monet Mommsen. (Nachträge zu den osk. Stud. p. 52), quod ex Pakvius vel, ut est in inscriptione quadam apud Murator., PAQVVIUS, vocali u interposita formatum idem valeat, quod Paculus et Pacullus (l. l. 51). Pacuvius Calavinus, nobilis Capuanus, de quo Livius XXII. 2—4. 8., apud Diodorum XXVI. ed. Dind. t. II. p. 15. Πάγκυλος et apud Silium Ital. XI. 58. 313. Paculus nominatur, et Pacuvius, primipili centurio, de quo Oros. VI, 7., apud Caesarem B. G. III, 5.; II, 25.; VI, 38. P. Sextius Paculus appellatur (non Baculus).

[2]) Plin. h. n. 35, 4.: „Proxime celebrata est in foro boario aede Herculis Pacuvii poetae pictura. Ennii sorore genitus hic fuit, clarioremque eam artem Romae fecit gloria scenae.“ Neque vero Ennii ex filia nepos fuit, ut dicit Hieronymus in Chron. Eus. n. 1840. Olymp. 156, 4. (secundum alios mss., 156, 3): „Pacuvius Brundusinus

poris viris familiariter usus est. Caii quidem Laelii apud Ciceronem de amic. 7. hospes nominatur et amicus: neque quominus aliorum etiam tum virorum nobilium animos insignibus ingenii facultatibus conciliasse sibi eum credamus, quidquam nos impedit. Ad senectutem usque Romae videtur degisse. Anno enim aetatis suae octogesimo simul cum Attio fabulam docuit et postea etiam, modo Cicero, qui loco supra allato novam fabulam vocat Dulorestem, accuratam temporum rationem habeat, hanc fabulam videtur docuisse (cf. Stieglitzius de Pacuv. Dulor. p. 72.). Tandem grandi iam aetate et morbo corporis diutino affectum Tarentum concessisse eum ait Gellius noct. Att. 13, 2., ubi secundum Hieronymum l. l. prope nonagenarius mortuus est.

Haec fere sunt, quae de vitae eius conditionibus tradiderunt veteres. Ad animi eius indolem quod attinet moresque, de quibus iam dicendum est, summa eum fuisse simplicitate, ingenuitate et modestia ut iam ex illa, quae ei cum nobilissimis illius aetatis viris intercessit amicitia concludere licet, ita neque ipsae scriptorum eius laciniae negant et epitaphium luculentissimum praebet exemplum. Hoc epitaphium, quod ipsum, ut Ennium, Naevium, Plautum, sibi fecisse narrat Gellius, si cum eorundem poetarum conferas, verecundia quadam et modestia mirum quantum excellit. „En igitur, inquit Gellius (n. a. 1, 24.), epigramma Pacuvii verecundissimum et purissimum dignumque eius elegantissima gravitate:

Adoléscens tametsi próperas, te hoc saxúm rogat,
Ut sése adspicias, deínde quod scriptum ést legas:
Hic súnt poetae Pàcuvi Marcí sita
Ossa. Hóc volebam néscius ne essés. Vale.“

---

tragoediarum scriptor clarus habetur, Ennii poetae ex filia nepos, vixitque Romae, quoad picturam exercuit ac fabulas venditavit. Deinde Tarentum transgressus prope nonagenarius diem obiit.« Nam Ennius natus Q. Valerio C. Mamilio Coss. a. U. 515. Pacuvio non amplius novemdecim annis natu fuit maior.

Neque abhorret ab hac simplicitate et modestia aliqua in sermone libertas. Fert enim ipsa secum talium hominum natura, ut, quemadmodum severe de semetipsis iudicant, ita aliis non modo non adulentur, sed, siquid est in iis reprehensione dignum, liberrime profiteantur. Itaque illud, quod legimus apud Gellium (n. a. 13, 2.), utri plus laudis, Pacuvio an Attio afferat, plane nescias. Sunt verba Gellii haec. „Cum Pacuvius, grandi iam aetate et morbo corporis diutino affectus, Tarentum ex urbe Roma concessisset, Attius, tum haud parvo iunior, proficiscens in Asiam, cum in oppidum venisset, devertit ad Pacuvium; comiterque invitatus, plusculisque ab eo diebus retentus, tragoediam suam, cui Atreus nomen est, desideranti legit. Tum Pacuvium dixisse aiunt, sonora quidem esse, quae scripsisset, et grandia, sed videri ea tamen sibi duriora paulum et acerbiora. Ita est, inquit Attius, uti dicis, neque id sane me poenitet: meliora enim fore spero, quae deinceps scribam. Nam quod in pomis est, itidem, inquit, esse aiunt in ingeniis, quae dura et acerba nascuntur, post fiunt mitia et iucunda. Sed quae gignuntur statim vieta et mollia, atque in principio sunt uvida, non matura mox fiunt, sed putria. Relinquendum igitur visum est in ingenio, quod dies atque aetas mitificet.“ Quibus ex verbis quantum Pacuvius ab obtrectatione artificiique, quae dicitur, invidia abfuerit, satis elucet. Quapropter mirum sane est, quod Bothius ad Pacuv. fragm. p. 106. Pacuvium „tandem taedio imminutae gloriae et deficientis lucri“ Tarentum se contulisse dicit; neque tamen, quum idoneo teste nullo confirmetur Bothii suspicio, est cur diutius in hac re versemur. Tarentum cur concesserit alia multo probabilior afferri possit causa, vel quod prius cum Ennio hic vixerit, vel quod propter summos, qui ibi habebantur ludis scenicis honores praeter ceteras haec urbs ei fuerit cara.

II.

Pacuvii excellens in poesi virtus.

Ea est lex conditionis humanae, ut, postquam apud unum populum res in deterius verti coeptae sunt, quae praeclare ab eo inventa et excogitata sunt, ne communi humani generis saluti omnino intereant, ab ipsa aufugiant et in recenti et vegeto etiam populo nova sibi quasi domicilia quaerant. Neque tamen ubique pari utuntur felicitate, sed pro sua quisque indole alius alia aut excolit aut negligit. In quibus vero elaborant populi, si virtute pollent, ea ad suae quisque naturae normam efformant et licet ab alienis sint accepta efficiunt revera sua. Itaque, ut exemplo utar, quae Graeci pro ingenii sui felicitate effinxerunt praeclara vitae instituta moresque, litterarum genera, haec adeo sunt Graeca, ut, etiamsi initia aliunde petiverint, vix possis exquirere, unde originem duxerint. Cum quibus si Romanos conferas, pleraque, quae apud Graecos in summo honore erant, haud digna statuisse eos invenies, in quibus elaborarent, sed iis potissimum rebus operam dedisse, quae illi, qua praeter ceteros excellebant, gravitati accommodatae essent quaeque communi vitae usui inservirent. Hinc est, quod sero, ut Cicero ait, a Romanis poetae vel cogniti vel recepti sunt. Ac tragoediae quidem, de qua nunc nobis sermo est, a Graecis fabulis convertendis fecerunt initium. Quae quum propter argumenti gravitatem sublimitatemque indoli eorum a natura insitae admodum conveniret, postquam coli coepta est ad altum quoddam gloriae fastigium evecta est. Libera enim atque soluta suoque more instituta Graecorum exemplorum imitatione Romani poetae non solum suae sed posterioris etiam aetatis plausum tulerunt, denique etiam secundum normam magistrorum suorum ea, quae Romana historia continebat argumenta idonea in novarum tragoediarum formam redegerunt. Cuius quasi viae, quam tota ingressa est apud Romanos tragoedia, ipsa quodam modo nostri

poetae Musa, ut ita dicam, specimen praebet. Quare iam aggrediamur ad examinanda Pacuvii scripta.

Maximam laudem consecutus est Pacuvius tragoediarum scriptor. Inter fabulas, quas ex Graecis expressas modo magis modo minus libera atque soluta imitatione Romanae consuetudini accommodavit, numerandae sunt hae. Euripidem videtur secutus esse sola Antiopa, quam Cicero (de fin. 1, 2.) ad verbum ait ex Graeca esse expressam. Sophoclem in pluribus fabulis est imitatus: Teucro, cuius non sine laude mentionem facit Cicero [3]); Chryse, Hermiona, et Niptris, in qua condenda Pacuvium libere ingenio suo indulsisse non obscure indicat idem [4]). Armorum iudicium num ex Sophoclis Aiace expressum sit possis addubitare. In Duloreste autem, celeberrima illa fabula tractaveritne Pacuvius eandem quam Euripides in Iphigenia Taurica materiam, quae Stieglitzii est sententia, magis etiam est dubium. Reliquas fabulas, Medum, Ilionam, Periboeam, Atalantam, ex quibus Graecis exemplis expresserit prorsus nescitur. Haec enim postremo loco posita, si fragmenta non ad Arcadicam, sed Boeoticam Atalantam referenda esse rectius contendit Welckerus (Gr. trag. p. 1217.), ad Aeschyli vel Phrynichi exemplum facta esse non potest. Atqui tot tamque celebratas fabulas quales sunt Iliona et Dulorestes, ne nomine quidem ad nos pervenisse quum parum sit verisimile: facile ut coniiciam mihi persuadeam, in his fabulis componendis certa sibi exempla non proposuisse Pacuvium, sed vel quae Graeci intacta reliquerant argumenta tractasse,

---

[3]) De orat. 1, 58.: „Nec quisquam est eorum (adolescentium), qui, si iam sit ediscendum sibi aliquid, non Teucrum Pacuvii malit quam Manilianas venalium vendendorum leges ediscere“, cf ib. 2, 46.

[4]) Tuscul. II, 21. 49 : „Pacuvius hoc melius quam Sophocles. Apud illum enim perquam flebiliter Ulysses lamentatur in vulnere. — Intelligit poeta prudens, ferendi doloris consuetudinem esse non contemnendam magistram.“ — Ad Romanam igitur gravitatem dolorum accommodavit descriptionem.

vel plures Graecas fabulas in unius formam redegisse, ita ut partim amplificando partim tollendo novam plane fabulam fecisse videretur. Ut ita coniiciamus vel ipso „docti“ cognomine inducimur, quod ad accuratam mythologiae cognitionem atque animum doctrina excultum referunt Stieglitzius (p. 8.) et Welckerus (Gr. trag. p. 1358.). Quem quidem componendi modum cum comici poetae adhibuerint quidni tragici quoque usurpaverint: quamquam ex Terentio (Andr. et Heautontim. prologg.) non defuisse videmus, quibus haec comicorum ratio haud satis probaretur, quique contaminari non decere fabulas dicerent vituperarentque Terentium, quod multas contaminasset Graecas, dum faceret paucas latinas. Quod si hunc morem a Pacuvio non fuisse alienum recte statuere possimus, ex hoc ipso parvi (si ad alios tragoediarum scriptores illius aetatis respicis) quas scripsit fabularum numeri causam repetendam esse putem. Ad eas enim quas commemoravimus fabulas praeter Pentheum, de qua statim dicetur, una tantum praetexta Paulus accedit. Nam Thyestes, quam a Welckero (Graec. et Graec.-Rom. trag. p. 368.) video Pacuvio tribui, quum a solo Fulgentio (de quo plura dicemus infra) afferatur, vix ut Pacuvianis adnumerem mihi possum persuadere. Praeter has tamquam Pacuvii afferuntur: Anchises, Tantalus, Pentheus. Sed quod est apud Gellium 4, 17.: in Anchise *) recte ex codicibus emendatum esse in Chryse facile credamus, praesertim quum nulla Graeca fabula Anchises nota sit. Chryse post Gronovium M. Hertz. in nova Gellii editione exhibet (A. Gellii Noct. Att. libri XX. Ex recens. Martini Hertz. Vol. pr. Lips. 1853.) Ad Tantalum quod attinet, iam monet Mercerus ad Non. v. praegreditur: sed et Atalanta melius vulgati quam libri Tantalo. **) De Pentheo dicit

---

*) Recentiores codd.: Anchise, Anchyse, Chise; Vat. Reg. Chryse; Rott. ċse.

**) Iunius: Atalanta.

Servius ad Aen. 4, 469.: Pentheus autem secundum tragoediam Pacuvii furuit etiam ipse" etc. Ad quae Naekius de Pacuv. Dulór. p. IV. de loco statim sequenti (v. 473.): „A Pacuvio Orestes inducitur Pyladis admonitu" eet. dicens: „Nos, inquit, quum neque alius quisquam hoc de Pacuvio tradat, neque in fragmentis Dulorestis ullum sit huius argumenti vestigium, quid aliud quam errasse Servium existimabimus? praesertim illum Servium, qui eodem loco quandam Pacuvii de Pentheo tragoediam cum Pomponio Sabino comminiscitur, qualem nullam unquam scripsit Pacuvius." Confundi a Servio, ut etiam Elmsleius monet (Eurip. Bacch. p. 5.) Pacuvius videri potest cum Attio, in cuius Bacchis Pentheus furens inducebatur. Hoc igitur quamvis addubitem, in medio relinquam.

Comoedias quoque scripsisse volunt quidam Pacuvium. Quae res quamquam per se quod incredibile sit non habet apud illius aetatis Romanum poetam, tamen argumentis haud satis firmis innititur. Sunt autem ut comoedias non scripsisse eum censeamus, haec maxime quae faciunt. Primum enim a Volcatio Sedigito apud Gellium (15, 24.) in comoediarum scriptorum numerum non refertur. Deinde Tarentillam et Tuniclariam, quae a Varrone afferuntur, non Pacuvii sed Naevii esse fabulas iam apud omnes fere constat. Cf. Klussmann de vita et fragm. Naevii p. 175—76, 179. Mercator, quae a Varrone de l. L. 7, 60. affertur, est Plauti. Restat igitur Pseudo, quam Pacuvii esse comoediam disertis verbis dicit Fulgentius de abstrus. serm. s. v. blaterare. Quem tamen scriptorem quin falsarii nomine notemus, vix nobis possumus temperare, neque hoc sine multorum virorum doctorum auctoritate facimus. Iam Mercerus in notis quas addidit magnum quae commiserit in afferendis nominibus locisque scriptorum numerum exhibet vitiorum. Idem censendum esse ait de hoc libello, quod de illo περὶ παραλλήλων ἑλληνικῶν καὶ ῥωμαϊκῶν libro, quem nemo sanus Plutarcho tribuere possit; quae illic narrentur, falsa esse et absurda plera-

que, maximam partem ficta, ita ut veris respondeant ... Quare quae falsa esse constet, non, ut Iunius fecerit, corrigenda sed scriptori culpae danda. Hunc secutus est Munkerus in ea quam de Fulgentii vita et scriptis Mythographorum Lat. editioni addidit dissertatione (Amstel. 1681. T. II.), qui: „ceterum, inquit, ne fucum nobis faciat in isto libello Fulgentius, non de nihilo verearis. Nam cum eius aetate magna sui parte non a Gothis tantum, sed ab ipsis christianis praepostero religionis zelo spoliatae essent bibliothecae, licere sibi arbitratum dicas, ut auctoritatem advocet complurium scriptorum, qui nusquam videntur exstitisse, certe aliis incomperti sunt.“ Acerbius etiam loquuntur Bentleius (op. p. 512.), Bernhardyus (R. L. G. p. 312.), Madvigius (op. acad. I. p. 28.), Orellius (lect. Petron. p. 3.); Ritschelius (Melet. Plautin. spec. on. p. 3.): „Modo, inquit, de fide Fulgentii satis constaret.“ Omnino fidem habendam ei non esse certum sibi dicit Hildebrandus (Apuleii op. omn. I. p. 302.); tres locos, qui etiam apud Apulcium inveniantur, aut ex singulis Apuleianis verbis confectos aut verbis transpositis mutatos esse ostendit. Qui loci ex Plauto afferantur, eos in fabulis, quas indicet, non inveniri, ubi inveniantur, in verbis huius poetae purgandis atque emendandis nihil curandos esse. Eandem aliorum etiam scriptorum esse rationem... Ex quibus omnibus rebus probasse sibi videtur Hildebrandus, Fulgentium omnia ex memoria attulisse, ita ut numquam ei possit haberi certa fides.

Diligentissime etiam nuper in totam hanc rem inquisivit Lerschius in nova sua libelli de abstr. serm. editione (Bonnae, 1844.). Quod attinet ad nostram rem, non solum locos in aliis ac dictum sit fabulis inveniri, multosque ex aliis scriptoribus allatos plane esse mutatos demonstrat, sed etiam eorum, quae ipse finxerit quasi certam quandam formulam composuisse eum ostendit. Primum enim certum scriptorum numerum esse, ex quibus librorum nomina titulosque, fragmenta atque ipsas verborum

explicationes sumpserit: deinde etiam in componendis versibus certam quandam artem adhibuisse, in qua re usu veniat legenti, ut prioris vocabuli fonte detecto sequentis non raro aut fons aut ansa inveniatur. (Conferas, si placet, quae dicta sunt ad vocabula: Sandapila et vespillones, edulia et tucceta, stega, lembus et ramentum cet.). Referendos esse in illorum numerum Plautum, Apuleium et Petronium, librorum quos afferat titulos ex Plautinis personis magnam partem nominibusque petitos, fragmenta plurima, nedum omnia, quae ferantur veterum poetarum esse nihil aliud, nisi ex singulis Plautinis versibus mixta, paulum mutata, amplificata. Accedit ad hanc sententiam etiam Otto Iahnius, qui Prolegom. Pers. p. XXV.: „Idque maxime, inquit, de fragmentis valet ab eo (Fulgentio) allatis, quorum quaedam aperte confinxit ad exemplum aliorum, maxime Plautinorum.“

Sed videamus locum, de quo nobis agitur, ipsum. Fulgentius s. v. blaterare haec habet: „Pacuvius in Pseudone comoedia:

Ni ego te blaterantem aspicerem, his nuntium indicassem.“

Quem quidem versum sine dubio ex Apuleio petivit, cuius sunt haec (Metam. 10, 9.): „At ego perspiciens malum istum verberonem blaterantem atque inconcinne caussificantem — — — non statim pretium, quod offerebatur, accepi.“

Verbis ego et blaterantem retentis ex perspiciens fecit aspicerem, et ni ex non. Etiam illud, quod dicit: „inducit Sceparnum servum“ ex eodem dicas fluxisse fonte: legitur enim apud eundem quinque lineis supra: „inductos servuli mendacio peierare.“ Quod quidem verum esse haud parvo argumento esse potest explicatio. Explicat Fulgentius: „Blaterare quasi verba trepidantia metu balbutire dixerunt.“ Cum quibus conferas, quae habet Apuleius ibid. 10, septem lineis infra: „Ingens exinde verberonem corripit trepidatio, et in vicem humani coloris succedit pallor infernus, per-

que universa membra frigidus sudor emanabat. Tunc pedes incertis alternantibus commovere, modo hanc modo illam capitis partem scalpere et ore semiclauso balbutiens nescio quas affanias effutire.“ Verberonem, trepidatio, pallor, balbutiens quin materiam suppeditaverint iam non dubites. Verbum blaterare alibi etiam legitur apud Apuleium (Florid. 1, 9.; de mag. 3.). Jam desunt nomina Sceparnus et Pseudo. Sed quum in Plautina comoedia, quae Rudens inscribitur, inducatur Sceparnio, servus Damonis, et alia inscripta sit: Pseudo — lus, non videtur esse, cur altius repetamus.

Eadem ratio est eorum, quae Fulgentius affert s. v. Diobolares. Vide Lerschium p. 57.

Verbum addendum videtur de tertio loco, quo Pacuvio tragoediam Thyesten tribuit Fulgentius, s. v. Luteum: „Luteum dicitur splendidum. Unde et Pacuvius in tragoedia Thyestis ait:

Non illic luteis aurora bigis.“

De qua Pacuvii fabula aliunde nihil notum est. Praeter Ennianam vero extitisse eiusdem nominis Varii fabulam docemur etiam memorabili scholio, quod primo exhibuit Schneidewinus in Mus. Rhen. 1842. p. 106. sqq. (cf. 1843. p. 638.), et ex schol. Bernensi ad Virg. Ecl. 8, 6. Quodsi illa: „Non illic luteis aurora bigis“ conferas cum Virg. Aen. VII, 26.: „Aurora in roseis fulgebat lutea bigis“, Fulgentium ex Aeneide hausisse dicas, quae est etiam Lerschii sententia. Iam si de mente qua Fulgentius haec omnia in librum suum conferserit quaeras, sunt quidem qui in multis memoria lapsum eum velint atque errare sine consilio, quorum tamen numero sunt pauci: multo maior est pars eorum, qui aut falsarii nomine notent aut paulum aliquid ultra primas litteras progressum res, nomina, quae hic illic audisset confudisse eum atque ita apta ineptis, veris falsa permiscuisse statuant. Quidquid est, fides ei haberi, praesertim soli de aliqua re tradenti, omnino nequit. Neque igitur temere nobis vide-

mur facere, si Pacuvium comoedias scripsisse negamus: quod idem de tragoedia Thyeste valeat.

Sunt igitur quas sine ulla dubitatione Pacuvio tribuendas esse censeo tragoediae hae:

1. Antiopa,
2. Armorum iudicium,
3. Atalanta,
4. Chryses,
5. Dulorestes,
6. Hermiona,
7. Iliona,
8. Medus,
9. Niptra,
10. Periboea,
11. Teucer,
12. Paulus (praetexta).

(13.) Pentheus num sit Pacuvii fabula necne dubito,

(14.) Thyestes idoneo teste caret.

Recte autem Pacuvius inter satirarum scriptores numeratur. Quibus de satiris (vel saturis) ita scribit Diomedes (p. 482. ed. Putsch.): „Olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satura vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius.“ In quo tamen genere qualis fuerit non traditur, nisi quod Porphyrio ad Horat. sat. I, 10, 56.: „Pacuvium huic generi versificationis non suffecisse“ dicit.

Quae Nonius v. hostire (p. 121, 17. ed. Paris.) affert Erotopaegnia, non sunt Pacuvii, sed Laevii, errore, ut recte iam monet Mercerus, procul dubio inde orto, quod apud Nonium proxime antecedit mentio Pacuvii, cf. Weichert, poet. Lat. rel. p. 43.

Recensitis Pacuvii scriptis qualis fuerit indoles ingeniumque quod dicitur poeticum, quae eius in imitandis

Graecis exemplis ratio institutumque, quae denique in sententiis vis et gravitas et in verbis elegantia, iam deinceps cognoscendum est. In qua quidem re haud exigua laboramus difficultate. Etenim quum difficile est de alienae antiqui temporis nationis scriptis, quae integra ad nostram pervenerunt aetatem, iuste iudicare: tum magis iudicio nostro diffidere oportet in aestimandis iis scriptoribus, quorum scripta praeter pauca fragmenta deperdita sunt omnia. Quare id in primis spectemus oportet, veteres ipsi, quorum aptum ad iudicandum ingenium, iudiciique subtilitatem cognoverimus, quid senserint de nostro poeta; tum vero si quae sunt diversae vel contrariae aestimationes, ex qua fonte fluxerint videre quaque ratione inter se possint conciliari.

Pacuvius igitur non solum suo tempore a nobilissimis viris, sed etiam ab omnibus fere qui tota antiquitate fuerunt viris doctis plurimi est existimatus. Ciceronem, Asinium Pollionem, ceteros illius aetatis scriptores libenter Pacuvii ut ceterorum eiusdem aevi poetarum versus scriptis suis inserere consuevisse summae non eruditionis modo gratia sed etiam venustatis testis est Quintilianus (inst. or. 10, 1. 8.). Fabulae eius quam saepe tempore Ciceronis agerentur, ipse multis locis non obscure indicat, cf. de Acad. 2, 7.; Phil. 1, 15.; ad Att. 4, 15.; ad div. 9, 16.

Quin immo in omnium ore fuisse eas coniiciat aliquis ex Suetonio, qui in vita Caesaris 84. inter ludos funebres „collata esse ait quaedam ad miserationem et invidiam eius, accommodata ex Pacuvii Armorum iudicio: Men' me servasse, ut essent qui me perderent?"

Ad stilum Pacuvii qualis fuerit cognoscendum plurimum valet M. Varronis iudicium, quem optime de re scenica apud veteres esse meritum inter omnes constat. Hic igitur magnus criticus apud Gellium (7, 14.) Pacuvium „verum et proprium exemplum ubertatis" esse dicit eumque ceteris tragoediarum scriptoribus videtur praeposuisse. Uberi huic dicendi generi dignitatem atque ampli-

tudinem vindicat Gellius (l. l.). Haec „sententiarum gravitas, verborum pondus, auctoritas personarum, *) quae laudat Quintilianus (10, 1.), denique elegantissima gravitas, quam Gellius (1, 24.) ei tribuit, aliorum quoque ei conciliavit animos criticorum. Quo factum est, ut apud Ciceronem de opt. gen. or. 1. non sine ipsius Ciceronis consensu summum tragicum dicatur licere eum appellari. Versus eius ornatos elaboratosque laudat idem Orat. 11. Neque aliud quidquam nisi hos ornatos elaboratosque versus et illam, quam Gellius laudat, elegantissimam gravitatem a Frontone putaverim significari, qui mediocrem eum dicit. Eadem est ratio auctoris ad Herenn. 4, 4., qui eius periodos laudat.

Haec ubertas et in dicendo elegantia non vulgari modo exculta erat. Namque non solum magnam mythologiae cognitionem sed etiam animum philosophiae addictum habuisse eum vel ipsa fragmenta ostendunt. Quo factum esse dicas, ut quod postea etiam Propertio obtigit, docti cognomine praeditus apud antiquos non semel inveniatur, quamquam equidem non invitus fecerim, ut idem ad ingeniosam fabularum argumenti rationem referam. Iam Horatii temporibus in disceptationem consuevit cadere, uter esset maior, Pacuvius an Attius; et videtur antiquitatis studiosorum nomine et iudicio respondere, auferre Pacuvium docti famam senis, Attium alti (ep. II. 1, 55.). Cum quo consentit Quintilianus (10, 1.), qui: Pacuvium, inquit, videri doctiorem qui esse docti affectant volunt. Attius igitur aut cum eo confertur, aut solus ei praefertur, ut a Velleio Paterc. I, 17.; 2, 9. et Colum. de r. r. I. praef. Sed tot tantisque laudibus videri possunt officere variae quas incurrit Pacuvius reprehensiones, de quibus nunc dicendum est. Iam vivum a Lucilio, satirarum scriptore, cui docti et artificiosi prologi displicuisse videntur, mor-

---

*) Cf. fragm. Teuc. 4. 5. (Bothe) Ilion. 11. Dul. 25. Nipt. 11. Perib. 8. 9. 11. 27.

daci carmine eum esse perstrictum tradit Gellius (17, 21.), et in ipsis eius satirarum reliquiis 19, 63. ed. Dousae p. 81. legimus:

„Utrum contorto aliquo ex Pacuviano exordio.

Magni loquentiam tragicam exagitat, opinor, idem vel obtrectaturus vel parodia ludens, ut faciunt comici poetae Graeci, lib. 5. apud Nonium v. pecus:

Lascivire pecus iussit rostrique repandum.

Pacuvii versus est:

Nérei repándirostrum, incúrvicervicúm pecus;

Lucilius inversa compositione fecit: rostrirepandum. Sed tota haec res non ita multum laudis ei detraxerit, praesertim quum ne Attio quidem parceretur. Nec mira certe est perurbanae aureae illius quae dicitur aetatis contemptio, in quam non solus Pacuvius, sed omnes veteres tragici, magis etiam comici inciderunt. Nervosa scilicet et aspera antiquitatis verba elegantibus et eruditis quae videbantur esse illius temporis auribus quasi horrorem quendam incutiebant. Itaque Horatius multus est in eo, ut Latinos poetas nimium limae pepercisse conqueratur doleatque: videsis ep. ad Pis. 289; ep. II. 1, 166. 170. Magis etiam posterioris aetatis poetae et critici nostrum carpebant. Hinc illud Martialis epigr. 11, 91.:

Attonitusque legis terrai frugiferai
Accius et quidquid Pacuviusque vomunt;

et Persii 1, 77.:

Sunt quos Pacuviusque et verrucosa moratur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta;

et Dialog. de orat. 20.: „Exigitur enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatus“ etc. Et quod sane mireris ipse Cicero, a quo Pacuvium plurimi existimatum esse supra vidimus, male eum locutum dicit Brut. 74. Quem locum si cum illis quos ex eodem attulimus comparaveris, Cicero quin in singulis verbis negligentiam respexerit minime dubitabis. Ac sane

Pacuvium verbis insolentioribus operam dedisse et in novis componendis maiore quam Latinae linguae ratio concedere videretur, audacia usum osse, fragmenta ipsa facile nobis persuadeant. Sed hoc ipsum in temporis illius conditione potius, ubi ab omni parte nondum stabat sermo neque tam arctis quam postea finibus inclusus erat, videtur fuisse positum; ad quam rem bene Quintilianus (10, 1. 97.): Ceterum, inquit, nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus quam ipsis (poetis illius aetatis) defuisse.

Fuit igitur, ut quae diximus brevibus comprehendamus, Pacuvius summo ingenio poeta omniumque veterum tragicorum aut primum aut post Attium secundum locum obtinet.

Iam venimus ad ipsas fabularum reliquias proponendas, quas quoad pro viribus licet illustrabimus.

III.

Pacuvii fabularum fragmenta.

Ut in aedificiis scriptorum prioris aetatis laudibus celebratis, quibus praeter paucas reliquias temporis iniquitas non pepercit, operis speciem deformare summam non modo delectationem habet sed ad ipsas reliquias recte intelligendas plurimum confert, ita fabularum quoque, quae integrae non exstant, quandam formam quasi delineare non solum maximam affert voluptatem sed etiam ad singula fragmenta in ea qua par est luce collocanda, haud exiguo est adiumento. Hoc ipsum si fieri potest ad cognoscendum ingenium totamque in fabulis condendis poetae rationem valere plurimum non est quod pluribus dicam. Quae quum ita sint, diffitendum tamen non est, quam multis saepe difficultatibus hic laboremus, quamque lubrica interdum via sit ingredienda. Etenim ex Graecis, ad quae Pacuvius fabulas suas expressit exemplis nullum integrum ad nos pervenit, pauca, quod fuerit argumentum, vix suspicari

sinunt. Pacuviana fragmenta multorum scriptorum, qui occasione data ex hac illa tragoedia versus ad suam quisque rem pertinentes attulerunt, libris continentur, saepe ita, ut non tam verba quam sententia exprimatur, raro mendosa librariorum scriptione non inquinata. Huc accedit, quod, ut iam supra diximus, poeta noster non omnes fabulas ad verbum expressit, ut quibusdam placet, plures omnino ne expressisse quidem videtur. Sed tamen quo citra temeritatem progredi liceat periculum faciamus, tresque in praesens fabulas proponamus quoad fieri potest adumbratas, quarum una religiosum Euripidis interpretem, altera fortasse quasi quendam Euripidis libertum, tertia Graecorum exemplorum imitatorem dicas fuisse Pacuvium.

I. Antiopa.

In celebratissimarum numero fuisse hanc Pacuvii fabulam habitam ex Cicerone concludi potest, qui (de fin. 1, 2.): Quis, inquit, tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat aut reiiciat; qui se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat, Latinas oderit (ita Orellius)? Eandem commemorat idem Acad. 2, 7. 20.: „quam multa, quae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati! qui primo inflatu tibicinis Antiopam esse aiunt aut Andromacham, cum id nos ne suspicemur quidem", ex quo loco non adeo rudes, ut placet multis, omnes fuisse Romanarum spectatores fabularum posse intelligi obiter moneo. Tertio loco (offic. 1, 31.) Antiopam iis fabulis adnumerat, quas quia accommodatissimae sibi essent elegissent scenici, semperque Rupilium, quem ipse meminerit, sibi eam dicit elegisse. Neque minimam laudem ei tribuerit Persii illud fastidium, qui suo etiam tempore dicit esse, quos verrucosa moretur Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.

Argumentum continet octava Hygini fabula. Nam quod haec fabula inscripta est: „Eadem (Antiopa) Euri-

pidis, quam scribit Ennius", quum ad verbum a Pacuvio Antiopam de Euripidea expressam dicat Cicero (de fin. 1, 1.), propterea non credam eandem fuisse Ennii fabulam, sed apud Hyginum Ennii nomen cum Pacuvio, opinor, est commutatum. Neque Livium Antiopam scripsisse concedam, quum uno quo Livius nominatur loco apud Nonium v. septuose Scriverius in mss. Pacuvium invenisse se dicat, et alter locus ibid. v. armenta, quem Bothius Livio dat, ubi in mss. est Vivius, a Servio ad Aen. 3, 540. Pacuvio tribuatur. Est igitur fabula haec: „Nyctei regis in Boeotia fuit filia Antiope. Eius formae bonitate Iupiter adductus gravidam fecit. Quam pater cum punire vellet propter stuprum minitans periculum Antiopa effugit. Casu in eodem loco, quo illa pervenerat, Epaphus Sicyonius stabat. Is mulierem advectans domo matrimonio suo iunxit. Id Nycteus aegre ferens quum moreretur, Lyco fratri suo per obtestationem mandat, cui tum regnum relinquebat, ne impune Antiopa ferret. Huius post mortem Lycus Sicyonem venit. Interfecto Epapho Antiopam vinctam abducit in Cithaeronem; parit geminos et relinquit. Quos pastor educavit, Zethum et Amphionem nominavit, Antiopa Dircae uxori Lyci data erat in cruciatum. Ea occasionem nacta fugae se mandavit; devenit ad filios suos. Ex quibus Zethus existimans fugitivam non recepit. In eundem locum Dirce per bacchationem Liberi [illuc] delata est. Antiopam repertam ad mortem extrahebat. Sed ab educatore pastore adolescentes certiores facti eam esse matrem suam, celeriter consecuti matrem eripuerunt. Dircen (ad) taurum crinibus religatam necant. Lycum cum occidere vellent, vetuit eos Mercurius et simul iussit Lycum concedere regnum Amphioni."

Horum, quae simplici narratione Hyginus exhibet, maior sine dubio pars ad prologum pertinebat, neque priusquam Antiopa ad filios deveniret, in scena rem agi coeptam putaverim. De cuius adventu pulcherrime Propertius (2, 15.):

Inde Cithaeronis timido pede currit in arces,
Nox erat et sparso triste cubile gelu.
Saepe vago Asopi sonitu permota fluentis
Credebat dominae pone venire pedes.

Duos choros induxisse Euripidem discimus ex scholio Cobetiano in Eur. Hipp. 67.: ὡς καὶ ἐν Ἀντιόπῃ δύο χοροὺς εἰσάγει τὸν Θηβαίων γερόντων διόλου καὶ τὸν μετὰ Δίρκης. Quos senes Amphion, quum fortasse de musicae virtutibus cecinisset, quod sit mirabile quoddam animal quasi aenigma solvere iubet, apud Ciceronem de divin. 2, 64.: „Nam Pacuvianus Amphio:

1. Quadrupés tardigrada agréstis humilis áspera,
Capité brevi, cervice ánguina, adspectú truci,
Evíscerata, inànima, cum animalí sono,

quum dixisset obscurius, tum Astici respondent:

[Ita séptuose díctio abs té datur,
Quod coniectura sapiens aegre contuit]:
Non íntelligimus, nísi aperte díxeris.

At ille uno verbo:

Testudo.

Non poteras hoc igitur a principio, citharista, dicere?"

Quae verba uncis inclusimus (ap. Non. v. septuose vide supra) huic loco convenire puto aptissime, sequentem autem versum dubitaverim poetae dare, quum ex memoria videatur Cicero afferre. Primus versus legitur etiam apud Tertullianum de pallio 3.

Sermonem igitur habentibus Amphione et choro Antiopa advenit. Cuius ad adolescentes haec fuerint verba:

2. — — Perdita inluvie atque insomnia.
3. Frendére noctes mísera quae perpéssa sum.
4. . . . Frúges frendo sóla saxi róbore.
5. Mínitabiliterque íncrepare díctis saevis íncipit:

de atroci qua in domo Dirces usa sit fortuna. Fortasse huc etiam pertinet quod est apud Ciceronem ad Fam. 9, 22., non addito auctoris nomine:

Virginem me quondam invitam pér vim violat Iúpiter.
Ex Euripideis conferri possunt fragm. 5. 4. 12. 7.

Tamen ut se recipiat non persuadet Zetho, contra (quae sunt Propertii verba) „Amphiona mollem experta est.“ Hinc fortasse inter „durum“, qui a Propertio, et „severum“, qui ab Horatio vocatur Zethum („trucem“ dicit Seneca Herc. fur. 917.) et „mollem“ Amphiona nobilissimum illud colloquium, de quo Horatius ep. I, 18. 39.:

Nec tua laudabis studia aut aliena reprendes,
Nec cum venari volet ille, poemata panges.
Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi, dissiluit, donec suspecta severo
Conticuit lyra. Fraternis cessisse putatur
Moribus Amphion: tu cede potentis amici
Lenibus imperiis.

Cuius controversiae hanc putaverim fuisse rationem, ut Zethus exacerbatus paene nimia quae videbatur Amphionis esse in „fugitivam“ et peregrinam aliquam mulierem misericordia atque clementia, musicae cui operam navaret hoc totum tribueret, quippe quae mollem redderet animum atque remissum.

Ex locis, quos statim afferam Amphionem non in sola musica laudanda versatum, sed multum etiam fuisse apparet in sapientiae laudibus et virtutis. Cic. de invent. 1, 50.: „Aut si non id quod accusabitur defendet: ut si quis quum ambitus accusabitur, manu se fortem esse defendet, ut Amphion apud Euripidem, item apud Pacuvium, qui vituperata musica, sapientiam laudat.“ Auct. ad Herenn. 2, 27.: Item verendum est, ne de alia re dicatur, quum alia de re controversia sit; inque huiusmodi vitio considerandum est, ne aut ad rem addatur quid, aut quidpiam de re detrahatur, aut tota causa mutata in aliam causam derivetur: uti apud Pacuvium Zethus cum Amphione, quorum controversia quum de musica inducta sit, disputatio in sapientiae rationem et virtutis utilitatem consummatur.“

Sed Zethus a sapientia et doctrina non minus abhorret quam a musica. Cicero de orat. 2, 37.: „Miror, inquit, cur philosophiae sicut Zethus ille Pacuvianus prope bellum indixeris"; et de rep. 1, 18.: „Atque idem Zethum illum Pacuvianum nimis inimicum doctrinae esse dicebat"; et Dio orat. 73. extr. ὡς ἐκεῖνος (Ζῆθος) ἐνουθέτει τὸν ἀδελφὸν, οὐκ ἀξιῶν φιλοσοφεῖν αὐτὸν οὐδὲ περὶ μουσικὴν διατρίβειν, ἐάσαντα τὴν τῶν ἰδίων ἐπιμέλειαν, ἔφη δὲ αὐτὸν ἄτοπόν τινα καὶ ἀσύμφορον μοῦσαν εἰςάγειν.

Ex fragmentis huc videntur esse referenda haec:

6. Tu cárnifrontes páscere armentás soles;

7. Loca horrida initas:

quae Amphionis ad Zethum fuerint verba, et

8. — — — Sól si pertuó siet
Flámmeo vapóre torrens térrae foetum exússerit,
Nócti ni intervéniat, fructus pér pruinam obriguerint,

quibus animi relaxandi causa esse musicae interdum operam dandam dixerit Amphion.

Iam penitus hac ratione quales sint cognitis adolescentibus, mox matrem recuperaturis, Dirce per bachationem, ut Hyginus dicit, Liberi comitante Maenadum turba in hunc locum est delata, a quo Antiopa nondum se receperat. Cuius ad comites furore correptae imperiis aptissime congruunt versus, quos Pacuvii esse Victorinus dicit fabula non nominata:

9. Agité rapite volvite férte coma,
Tractáte per aspera sáxa et humum
Scindíte vestem ocius!

Quibus bene adiungitur:

— — — — — cérvicum
Floreós disperdite críines.

Antiopa igitur abducitur. Sed pastor educator ex iis, quae antea dixerat Antiopa, persuasum iam habet adolescentium eam esse matrem. Tantus vero in eos amor, ut tum demum patris nomini possit renuntiare, quum ad

certam mortem videt adripi matrem. Hinc ille ad mulierum turbam:

10. Nonne hinc vos propere stábulis amolímini?

Silentium excusat hoc Euripideo fragmento (40.):

κόσμος δὲ σιγῆς στέφανος ἀνδρὸς οὐ κακοῦ·
τὸ δ' ἐκλαλοῦν οὐϑ' ἡδονῆς μὲν ἅπτεται,
κακὸν δ' ὁμίλημ', ἀσϑενὲς δὲ καὶ πόλει.

Similis excusationis videtur esse initium hic versus:

11. Sed quum ánimum attendi ád quaerendum quíd siet.

Filii igitur „celeriter matrem consecuti eripuerunt" et quod atrox supplicium Dirce (schol. ad Phoen. 102.: ὕστερον δὲ παρέδωκεν αὐτοῖς τὴν Ἀντιόπην ἐπὶ τῷ διὰ ταύρων διασπάσαι) de Antiopa sumptura erat, idem in ipsam statim deferunt.

Redeuntes salvos esse iubet filios Antiopa:

12. Salvéte, gemini, méa propages sánguinis!

Deliberantibus quomodo a Lyco poenas repeterent, Mercurius apparuit, qui vetuit id fieri. Ad illud autem quod Lycum iussit regnum concedere Amphioni, commode monuit Matthiaeus (ad Eur. fragm. 19.) haec: „Videtur autem Euripides sub Zethi persona durum aliquem antiquae morum severitati et simplicitati assuetum civem Atticum, unum e Μαραϑωνομάχαις illis induxisse, sub Amphionis autem persona hominem elegantiore recentiorum magistrorum ac sophistarum disciplina usum et hanc disciplinam, quam multi tanquam mollem et effeminatam agitarent, ut Aristophanes in Nubibus, iudice Süvernio, ipse hoc exemplo defendendam suscepisse."

Notae.

1. Quod cum Orellio, pro vulgato Attici scripsi Astici i. e. ἄστεος incolae, confirmatur illo scholio, quod supra dixi. Cf. Schneidewin. Nunt. liter. Gotting. 1847. p. 145. Welckeri Bacchici minus placent. V. 4. Ab aliis aliter legitur. Vossius: — dictio ab Deo datur, dictio haec abs te datur, dictio abs tete datur; et v. 5: Quae consecutura sapiens aegre consulit, vel potius, aegre contuit. H. Grotius apud Hofm. Peerl-

kamp. p. 166: Ita sept. dictio a Deo datur, Quo consecutura sapiens aegre contuat. Ad Dei quoddam responsum referunt, quod cum nostra fabula quid rei habeat non video. Quare priore versu non mutato in posteriore pro consecutura, quod in libris est, lege coniectura, quod Bothio debetur, aut consecutum, quod quum sequens vocabulum a sa inciperet im littera per compendium scripta (—tûsa—) facile ex illo nasci potuit. Contuo pro contuor Ennius dixit Medea apud Both. fr. 6.: Coelum ac terras contues. Quodsi consulit malis retinere, non repugnabo equidem, si ad excogitandi notionem concedas accedere.

2. Apud Charisium 1. p. 78, ubi insomnia vigiliam significari dicit.

3. Non. v. fremere et frendere. Bothius Emend. Non. Mus. Rhen. V. 272: „male, inquit, codd.: quas, quasi noctes deflesset, immo noctes significat noctu, flevitque Antiopa misera sua, i. e. miserias (quod est in ms. Fabri); ed. 1480: miseras quas.

4. L. c. p. 447: „Frendere alicubi cum gemitu vel iracundia miserum aut minax sonare.« Tum allatis ex Virgilio exemplo et quod modo proposuimus Pacuvii fragmento tres profert locos, ante quos excidisse aliqua, quibus Nonius haec a priore frendendi notione separaverit, probabilissima est Vossii coniectura, quum hic potius frangendi insit significatio. Ceterum nostrum locum, quem Mercerus sic exhibet: »Fruge frendo solas, ac sic probore“ variis modis tentaverunt viri docti. Nos Welckerum secuti sumus. Plane similis est qui statim sequitur Attii ex Troadibus locus: Saxo fruges frendo. Fabam frendere dixit etiam Varro (R. R. 2, 4. 17.) fabam fresam Columella (2, 12. 7.)

5. Non. p. 139: Minitabiliter pro minaciter . . .

6. Vide quae supra de hoc versu diximus, qui est ap. Non. v. armenta.

7. Diomed. 1. p, 336 (Putsch.)

8. Varro de r. r. 1, 2: „Verum est enim illud Pacuvii: sol si perpetuo sit, aut nox, flammeo vapore aut frigore terrae fructus omnes interire.« Idem de l. L. 6, 6 (Müll.): »nox, quod ut Catulus (Scaliger: Pacuvius) ait, omnia, nisi interveniat sol, pruina obriguerint, quod nocet nox.» Festus p. 352 (Müll.): „torrens principaliter pro exurens ponitur, ut est apud Pacuvium in Antiopa: Flammeo vapore torrens terrae foetum exusserit.« Eadem habet Isidor. Orig. 13, 21. Verba: „fructus omnes interire« non esse Pacuvii, sed a Varrone addita facile credas Dacerio. Versus reconcinnavit O. Ribbeckius Coniectan. p. 7, quem vide de tertio versu disputantem.

9. Mar. Victorin. a. Gram. 2. p. 2522, quem locum totum iuvat exscribere. »Hoc loco dicam, cur quum sint duae periodi, seu stasima, ut quidam vocant, pari inter se coniugatione copulata, alterum vocetur anapaesticum, alterum dactylicum, quum aeque in utroque cadant mixti dacty-

lus et anapaestus. Causa talis, quod anapaesticum melos binis pedibus amat sensum includere, ut apud Attium:

Inclyte, parva praedite patria, nomine celebri,
Claroque potens pectore, Achivis classibus auctor.

Quae periodus circa sex versatur dipodias. Contra Pacuvius, novare propositum volens, noluit intra binos pedes, ut superius, finire sensum, sed secundum Euripidem, dactylicum metrum, quod appellatur, inducit, ut nominis mutatio diversitatem daret, huius modi stasimo, seu periodo usus: Agite etc.« In libris est: agite e volvite rapite coma. Tertius versus est μείουρος.

Quae adiunximus verba, leguntur apud Servium Aen. 12, 605. — Delrio: floros. et dispergite.

10. Non. p. 73: Amolimini est recedite, vel tollite — — Pacuvius Hermiona — — — Idem Antiopa: Nonne hinc etc.

11. Idem p. 238: attendere est intendere — — Pacuvius Antiopa: Sed quum etc.

12. Idem p. 221: Propago, propages ut saepe generis est feminini. Pacuvius Antiopa: Salvete etc.

Ceterum ex Antiopa esse coniicit Valckenarius (diatr. p. 75) Zethoque tribuerim equidem versum, quem Gellius 13, 8 ex Pacuvio affert:

. . ego odi homines ignava opera et philosopha sententia.

Cf. Cic. de orat. 2, 37: „— miror, cur philosophiae, sicut Zethus ille Pacuvianus, prope bellum indixeris«, cum quibus conferas de rep. 1, 18.

Pertinent ad nostram fabulam etiam illa, quae habet Probus in Virg. Ecl. 2, 25: »Amphionem et Zethum Euripides et apud nos Pacuvius Iovis ex Antiopa Nyctei ait natos. [Amphionem autem] cantando potuisse armenta vocare testantur Thebae“ etc., in quibus, quae uncis inclusa sunt, ex coniectura supplevit H. Keilius. Apud Homerum Antiopa Asopi est filia (Od. 11, 259).

II. Dulorestes.

Longe plurima de hac nobilissima Pacuvii fabula scripserunt viri docti. Ac primum quidem quasi impulsum quendam accuratius de ea disserendi dedit Naekius, qui commentatione brevi illa quidem quam indici lect. Bonn. a. 1822—23 praefixit docte de hac re disputavit. Qua innisus Stieglitzius non multo post dissertatione „de Pacuvii Duloreste“ doctissime diligentissimeque scripta idem

sibi sumpsit argumentum tractandum. Cuius libelli recensiones a doctissimis huiusque rei peritissimis viris conscriptae ut summam in auctorem laudem contulerunt, ita data ad rem diligentius perpendendam occasione mirum quantum ipsi fabulae rationi cognoscendae profuerunt. Neque tamen discrepantia defuit. Etenim de duabus potissimum rebus in diversas abhinc discesserunt sententias, de nomine fabulae et de eiusdem exitu. Ac primum quidem de nomine dicamus.

In vetustioribus Nonii, Prisciani, aliis, in quibus inveniuntur fragmenta libris admirabili sane consensu pro Dulorestes legitur Dolorestes. Quam formam invectam illo more, quo o pro u littera vel graeco ου scribere solebant, librarios, quibus Latinum d o l u s obversaretur, libenter credibile est arripuisse. Unde veram esse lectionem Dolorestes cave concludas. Nam si genuina esset, quam tandem putemus fuisse causam, cur Dulorestes commenti sint librarii? Dulorestes igitur inscripta fuit fabula. Neque aliud Dulorestes significare potest, nisi aut Orestem servi aut servum Orestis partes agentem. Aliam rationem G. Hermannus in recensione illius Stieglitziani libri proposuit, tentatam iam multis abhinc ante annis a Sturzio. Dolorestem enim significare putat Orestem, qui re vera non sit sed simulet se esse Orestem. Nihil posse, ait, esse aptius, quam quod Pacuvium, qui totam fabulae vim accommodaverit ad illud, ubi Orestes et Pylades magnanimitatis studio concertantes inter se in necessitatem adducerent Thoantem aut occidendi aut ignoscendi utrique, inde etiam nomen putemus petiisse et Δολορέστην inscripsisse; quod quidem nomen quamquam per se soli Pyladi conveniat, valeat tamen de utroque eodem modo. Ad quae, ut omittam, quae contra dixit Welckerus multa et gravia, hoc solum moneam, non videri in Dolorestis nomine inesse posse istam significationem, quum quae attulit Δύςπαρις aliaque cum adverbiis conflata apta omnino non sint exempla. Similia autem sunt Αἰγίπαν i. e. Pan capri forma indu-

tus, Ἡρακλειοξανθίας (Aristoph. ran. 497.) i. e. servus Silenus, qui Herculem se fingit, Oedipothyestes Varronis i. e. Thyestes, qui tanquam alter Oedipus expositus est, ut explicavit Grauertius in Niebuhr. Mus. Rh. II, p. 61. et plane geminum videtur esse Dulodidascalus, quae est Pherecratis comoedia. Sed haec de nomine dicta sint, plura vide apud Welckerum, Mus. Rh. IV, p. 608 sqq. Videamus nunc argumentum.

Inde a Ios. Scaligeri iam temporibus usque ad nostram fere aetatem Pacuvii Dulorestes ad Euripidis Iphigeniam Tauricam putabatur esse expressa. Multa sane in utraque fabula congruere non negaverim equidem, idem autem prorsus tractari argumentum eademque ratione persuadere mihi non possum. Nam ut taceam servilem Orestis conditionem, ut mittam fragmenta, quae, quamquam dubiae sint fidei, in longe aliam partem sunt explicata a Naekio et Welckero, nae hoc mirum videri debet, quod in tot reliquiarum multitudine nullus paene versus, qui ad rei summam pertineat, Graeco respondet. Deinde in nostra fabula Orestis nomen cognitum habet Thoas rex (quamquam quomodo hoc factum sit non perspicitur) et alterum tantum peregrinorum, Orestem, Deae vult immolari. Qua quidem re totam fabulae conformationem aliam omnino fieri quis non videt? Haec quum perpenderem plane diversum ab Euripidea fuisse etiam exitum mihi persuasi, in hunc fere modum. Agnita sorore Iphigenia simili fortasse modo, quo apud Euripidem, fugam parant. Verum nuntius ad regem adfertur Iphigeniam Orestis esse sororem agnitam seque cum duobus peregrinis surrepto Deae simulacro mandasse fugae. Iratus Thoas consequitur nactusque eos Orestem ducem facinoris et auctorem supplicio statuit afficere. Precantur ut parcat, de Orestis nomine concertant amici: denique ambo ut necentur rogant. Sed quod enixe precando non impetrarunt, postquam moriendum utrique decretum est, praesenti animo manuque forti posse se confidunt: regem occidere parant.

Huic argumenti quam proposuimus rationi conveniunt fragmenta pleraque, quod prorsus repugnet invenio nullum.

Servilis illa, quam diximus, Orestis conditio qualis fuerit nescimus. Nam quae huc referunt verba apud Nonium p. 345, quaeque Naekius sic emendavit: „qui meritat, hominem se servum facit" valde ea dubito num sint Pacuvii, et quae apud eundem p. 490. corrupta ea quidem: Delphos venum pecus ecunde abstabula ac itiner contuli (Hermannus: Delphos veni impete secundo, ad stabulaque itiner contuli), quae Welckerus quidem de ἱεροδούλῳ Oreste vult intelligi, ea omnia eiusmodi sunt, ut certi ex iis nihil possis constituere.

Summa igitur argumenti fuerit, ut apud Hyginum p. 261. et Mythogr. Vatic. 1, 20.; 2, 202. legimus: Iphigeniam quum humano sanguine numen placaret, agnovisse fratrem Orestem, qui oraculo accepto curandi furoris causa cum amico Pylade Colchos (?) petiisset, et cum his, occiso Thoante, simulacrum sustulisse.

Jam ut ad singula fragmenta nos convertamus, Iphigeniae sunt verba diem illum nuptialem describentis:

1. Hymenaeúm fremunt
Aequáles, aula résonit crepitu músico,

cum quibus conferas ex Euripidis descriptione (Iphig. Taur. v. 355.)

Ἀργεῖαί τε νῦν
ὑμνοῦσιν ὑμεναίοισιν· αὐλεῖται δὲ πᾶν
μέλαθρον.

Eiusdem de Calchantis iussis et Agamemnonis fallaci apparatu:

2. Respónsa explanat: mándat ne matrí fuat
Cognóscendi unquam aut cóntuendi cópia.

3. Gnatám despondit, núptiis hanc dát diem.

Nuntium defert, quisquis ille est, de Graecorum adventu:

4. Grajúgena: de istoc áperit ipsa orátio,

quae expressa sunt ex Euripideis (l. l. v. 236.):

Ἕλληνες· ἓν τοῦτ' οἶδα, κοὐ περαιτέρω.

Fortasse qui sint interrogatus alter respondet:

5. Délphos venum pécus egi, unde ad stàbula haec itiner contuli.

Sermone instituto Orestes Iphigeniae de rebus domesticis quaerenti respondet:

6. Páter Achivos in Capharei sáxis pleros pérdidit.

Matricidio perpetrato domo se pulsum:

7. Néc grandiri frúgum fetum pósse nec mitiscere.

Fuerit Iphigeniae ad haec naufragium illud ab Oeace praedictum reminiscentis:

8. Ni cálvitur suspício,
Hoc ést illud, quod fore occúlte Oeax praedixit.

Eiusdem ad Orestem paternum nomen vocare verentem:

9. Quid? quondam ét mihi
Pigét paternum nómen, maternúm pudet.

Etiam haec tribuerim eidem:

10. Utinam nunc matréscam ingenio, ut meúm patrem ulcisci queam;

quorum tamen quae sit sententia nondum intelligit Orestes. Iam agnoscitur ab Iphigenia frater. Pylades fortasse aliquod de salute paranda consilium iubet amplecti:

11. . . . macte ésto virtute, óperaque omen ádproba;

metuendum esse, quem describit hisce:

12. Amplus rubicundó colore et spéctu protervó ferox;

quem dicat interrogatus respondet:

13. 'Is quis est? — Qui té, nisi illum tu occupas letó dabit.

Falli facile posse dicit Iphigenia:

14. Heu, nón tyrannum nóvi, temeritúdinem — ?

Ad callide ab ea aliquod inventum, ut quid fieri velit apertius indicet, Orestis fortasse sunt verba haec:

15. — Séd me incertat dictio, quare éxpedi!

Quem versum si ex Graeco illo (v. 1162.):

τί φροιμιάζει νεοχμὸν, ἐξαύδα σαφῶς,

expressum regique dari malis, non habeo quod dicam contra. — Ad ea, quibus Iphigenia virginibus si tenuissent

silentium reditum aliquando se paraturam promittit apud Euripidem, retulerim haec:

16. . . . Ut ista súnt promerita véstra, aequiparare
út queam
Véreor, nisi numquám fatiscar fácere quod quibó boni.

Nuntii quae dixit de fuga, haec videntur sola esse reliqua:

17. Nil cóniectura quívi interpretárier
Quorsúm flexivice sé contenderét — —

nisi quod ex Pacuvio affert Priscianus 10. p. 887 (P) huc statuas spectare: In turba Oresti cognita, agnota est soror. Orestis nomine audito exclamare videtur Thoas:

18. Hiccine is ést, quem famae grátia
Ante omnis nobilitát viros?

Profugos persequi statuit. Quos consecutus, auctorem facinoris Orestem, ne simul Iphigenia soror modo agnita et amicus Pylades sua poena vacarent, quum punire vellet, uter eorum sit Orestes ignorat. Veniam petit amicorum alter:

19. . . . Primum hóc abs te oro, ni te inexorábilem
Fáxis, ni turpássis vanitúdine aetatém tuam.
'Oro, nive fléctas fandi mí prolixitúdinem.

Tum illud celeberrimum:

Pylades

20. Ego sum Orestes,

Orestes

'Immò enim vero ego sum, inquam, Orestes.

Qua animi generositate nihil moto rege

Uterque

. . .' Ambo ergo una necárier precámur . . .

Solatur Pylades amicum:

21. Nón vetet animum aégritudine ín re crepera cónfici,

quem tamen ut sibi consulat monere seque ut prodat videtur adhortari Orestes:

22. Nónne officium fúngar vulgi, atque aégre male-
factúm feram?

Pylades contra siquis solum in patriam reversum quod amicum prodiderit opprobrio se peteret, quid respondere possit quaerit:

23. Sí quis hac me orátione incilet, quid respóndeam?

De regis clementia nihil esse exspectandum monet Orestes:

24. Nunc ne íllum exspectes, quándo amico amíciter
Fecisti.

Iam in summo discrimine positi quum quomodo aliter se possint expedire non videant, regem statuunt interficere. Atque opinor equidem, ne ex improviso prorsus opprimeretur, nuntium aliquis de consilio inito ad regem detulit, quo pertinuerint haec:

25. Aut híc est, aut hic ádfore actutum aútumo.

Quam audaciam miratus Thoas:

26. 'Unde exoritur, quó praesidio frétus, auxilliś quibus?
Quó consilio cónsternatur, quá vi, cuius cópiis?

et:

27. ... Quidnam autem hoc sóniti est, quod stridúnt fores?

28. 'Illum quaero, qui ádiutatur.

29. Nam te ín tenebrica saépe lacerabó fame
Clausum ét fatigans ártus torto dístraham;

nisi postrema haec iam prius mortem minatus dixit Thoas.

Dum conseruntur manus, Iphigenia dixit fortasse verba quae aliter ab aliis leguntur, nos ut in libris sunt:

30. Ubi ille est? me miseram quoniam clamor eliminat.

Restat frustulum hoc:

31. Vel quum íllum videas sóllicitum orbitúdine,

quod quum sit sententia inchoata, quo sit loco collocandum in incerto relinquimus.

Alterum, idemque mancum, exstat apud Non. 23. v. moenes:

32. animum quae.

Idem Nonius p. 90. v. conciere, cum perturbatione commovere, ex Ennii Duloreste affert haec:

'Exemplo Aegisthí fidem
Núncupantes cónciebant pópulum — — —

De qua Ennii fabula quum aliunde non constet, ad nostram fabulam illa referenda esse eo libentius concedam, quod Orestis de domesticis rebus narrationi aptissime conveniunt. Ceterum libb.: extemplo; Scaliger coni. p. 56.: exemplo.

Notae in Dulorestem.

1. Non. p. 505: »Sonit pro sonat. — — — Pacuvius Duloreste: Hymenaeum fr. etc« Aula Scaliger. Coni. p. 69. dedit ductus illo Euripidis loco, quem sequuntur alii. Delrio: »Aula adiecta vox a criticis, versus fulciendi causa.« Mercerus et Iunius habent aura, Stephanus omisit. In Iens. et Par. totus Pacuvii locus deest.

2. Non. p. 111: »Fuam, sim, vel fiam. Pacuv. Dulor.« . .

3. Non. p. 522: „Diem volunt, quum feminino genere dicimus, tempus significare; masculino, diem ipsum. Nos contra invenimus. — — Pacuvius Duloreste: Gnatam etc.“ Dare diem dixit etiam Cic. ad Att. 1, 10; Plin. ep. 6, 31. 9. Despondit pro despondet, ut fervit pro fervet, fulgit pro fulget.

4. Cic. de nat. Deor. 2, 36. Fabulam non nominat Cicero.

5. Locus corruptus. Quod dedimus: „egi, unde ad stabula« in nonnullis libris esse testatur Delrio.

6. Priscian. 5, p. 668 (P.). Utitur hoc exemplo formae plerus, prisca illa aetate sine vocula ce (que) usurpatae. De Caphareo illo Euboese promontorio cf. Propert. 5, 55; Virg. Aen. 11, 260. al.

7. Non p. 115: Grandire est grandem facere — — Pacuv. Dulor. Idem p. 343: mitis est tranquillus et lenis — — — Mitis est maturus: — — Pacuv. Dulor. — — “

Mitescere habet Mercerus priore loco, Iens. Par. Iun. utroque.

8. Non, p. 6: Calvitur dictum est frustratur, tractum a calvis mimicis, quod sint omnibus frustratui: — — — — Pacuv. Dulor.: Me calv. etc.

Pro me Hermannus legit ni, quod si minus probetur, post suspicio pone interrogationis signum. De Oeace vide Welckerum.

9. Non p. 424: »Pudet et piget hoc distat: pudet enim verecundiae est, pigere poenitentiae . . . Pacuv. Dulor.«

Iunius in marg: quoniam pro quondam. Bergkius Mus. Rh. III. p. 76: „Quid? quod et mihi.“ De quondam particula confer versum, quem supra in Antiopa posuimus: Virginem me quondam invitam per vim violat Iupiter.

10. Non. p. 137: „Matrescam, matris similis fiam: Pacuv. Dulor.«

11. Non. p. 342: „Mactare est magis augere. — — — Pac. Dul.: Macte e. u. o. omenque approbo.« Delrio Omen approba.

12. **Festus** v. Spectu: „Spectu sine praepositione usus est Pacuvius in Duloreste, cum ait: Ampl. etc.«

Quae leguntur apud Varronem de l. l. 7, 107 (M.): „in Dolo: caperata fronte", non ad Pacuvium pertinere vidit O. Müller, quem v. ad h. l.

13, Nonius p. 355: »Occupare est proprie praevenire. — — — Pacuvius Duloreste: Is quis est? qui tunc si illum tu occupas, leto dabis.« Sic fere libri. Delrio omisit tunc, et pro dabit habet dabis. Vossius: te nisi, G. Hermannus: quem, si illum tu occupas, leto dabis.

14. Non. p. 181: »Temeritudinem pro temeritate. Pacuvius Duloreste: Euo tyrannum novi temeritudinem."

Iens. Par.: Enno; Iun.: Egon', Steph. Egone, Delr. Egone? Scriver. Heu, non, Bothius Eu! nunc (nc̄, no).

Tyranni legunt Steph. et Delr.

15 Non. p. 123: „Incertat, incertum facit. Pacuvius Duloreste: Sed ne incertat dictis Quam rem expedi.«

Iens. Par. Iun. Steph. Delr. dictio. Vossius, Scriverius, Hermannus quare, Scaliger. quin rem.

Cf. Terent. Phorm. II, 3. 52: *Dilucide expedivi, quibus me oportuit Iudicibus.*

16. Non. p. 307: Fatiscere est aperire . . fatiscere rursum deficere. — — — Pacuvius Duloreste: Ut si ita sunt promerita vestra, aequiparare ut queam, Vereor nisi numquam fatiscar facere quod quibo boni."

Ut ista Grotius ap. Hofm. Peerlkamp. Bibl. cr. n. IV. Bothius in Lect. Non. Mus. Rh. V. p, 275:

— Etsi (ita sunt promerita vestra) aequiparare ut queam
Vereor; nisi numquam etc.

Non. p. 479: fatiscuntur pro fatiscunt, (ubi librariorum incuria Accius irrepsit) idem locus habetur, nisi quod si legitur pro nisi, et quodquod pro quod. Pro nisi Grotius voluit sed.

17. Non. p. 260: Contendit, proripuit, vel direxit significat. — — Pacuvius Duloreste: „Nihil coniectura quivi interpretarier, quorsum flexivice contenderet« Nil Iun. (marg.), Delr. Scriv. Bothe. In posteriore v. mirum quantum vexavit doctos vox flexivice. Vossius: flexifice oraculum, vel: flexa voce tum. In membranis quibusdam esse ait idem:

Quorsum flexa cervice tum contenderet,

Grotius (l l.): Q. flexivia dictio tum c., quod probavit Hermannus. Sane quam audacter; dictionis alicuius sive oraculi nullum hoc loco indicium est. Flexivice est flexa vice, idem paene quod flexuose.

18. Non. p. 352 v. Nobile: „— — — Pacuvius Duloreste: Hiccine is est, quem famae gratia ante omnis nobilitat viros. Pro famae gratia Grotius (l. l.) Bergk. Ephem. Marburg. 1851 p. 221: fama Graia,

Bothius Mus. Rh. V. p. 275: fama Graiûm. Scaliger, ut hunc versum cum illo, quem loco 17. posuimus coniungeret, coniecit formae, quam secutus coniecturam Hermannus de Achille voluit intelligi hoc fragmentum.

Simillimum nostro est illud Ennianum apud Cic. Tusc. q. III. 18. (Both. fr. 9)

Hiccine Telamon ille est, modo quem gloria ad coelum extulit,
Quem adspectabant, cuius ob os Graii ora obvertebant sua?

Ceterum cf. Hom. Od. I, 298.

19. Non. p. 184: Vanitudo pro vanitate. — — Pacuvius Duloreste: — Primum hoc abs te oro, nimis inexorabilem Faxis, ni turpascis vanitudine aetatem tuam." Pro ni turpascis Iun. Steph. ni turpassis, Delr. et Ald. ap. Voss. ne t. Vossius castigatt. p. 90: „Puto scripserat Pacuvius:

Primum hoc abs ted oro, ne te nimis inexorabilem
Faxis, neu turpassis cet.,

quam emendationem debemus H. Grotio" Stieglitzius pro nimis dedit minus. Ni scripsisse veteres non raro pro ne monet Servius Aen. 3, 686.

Ceterum vanitudo significat inanes animi perturbationes, dominandi cupiditatem, iracundiam, quae senectutem dedecent.

Apte cum hoc loco coniunxit Lachmannus (in Lucret. II., 734) alterum Nonii locum p. 160: Prolixitudinem. Pacuvius Duloreste: Oro mi, ne flectas fandi mi prolixitudinem:" nive exhibens pro mi ne. Hoc dicit poeta: Oro, ne protrahas mihi fandi prolixitudinem i. e. prolixum ad orandum animum. Verba sunt instanter precantis; Welckero interprete.

20. Cicero Lael. 7: Qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvii nova fabula, cum ignorante rege, uter esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur, Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret! Stantes plaudebant in re ficta. Idem de fin. 2, 24: Vadem te ad mortem tyranno dabis pro amico, aut Pylades cum sis, dices te esse Orestem, ut moriare pro amico? aut si esses Orestes, Pyladem refelleres, te indicares, et si id non probares, quominus ambo una necaremini, non precarere? Ibid. 5, 22: Quid loquar de nobis, qui ad laudem et ad decus nati, suscepti, instituti sumus? Qui clamores vulgi atque imperitorum excitantur in theatris, cum illa dicuntur:

Ego sum Orestes

contraque ab altero,

Immo enim vero ego sum, inquam, Orestes!

Cum autem etiam exitus ab utroque datur conturbato errantique regi: ambo ergo una e. q. s. quotiens hoc agitur, ecquandone nisi admirationibus maximis?"

In quibus locis apparet de eadem agi re eandemque fere verbis: „si id non . . . . precarere?“ et: „amb. . . . . precamur« contineri sententiam. Postremus vero locus immanes, ut Orellius dicit, habet corruptelas. Goerenzius emendavit: ambo sic una enicarier precamur, probante Stieglitzio p. 108, quae ad sensum recte se habent. Hermannus voluit: ambo ergo sic una enicarier Comprecamur, vel precamur in medio versu. Quod supra posuimus, Madvico debetur.

Exitus quem dicit Cicero nihil aliud est, nisi ipsa haec precatio, non indicium aliquod ex quo verum rex didicerit; de quo ne forte cogites prohibent illa Ciceronis verba: „et si id non probares.“

Praeterea Oresti soli moriendum fuisse, elucet ex illis: »ut moriare pro amico.“ Verba deinde: »te indicares“ ostendunt, priora versus verba: „Ego sum Orestes« dicta a Pylade esse. Male Stieglitzius verba: »non precarere“ sine interrogatione censet legenda, ut sit: „omitteres precari“, quod est contra totius loci conformationem.

21. Non. p. 13: „Crepera res proprie dicitur dubia; unde et crepusculum dicitur lux dubia, et senes decrepiti dicti, in dubio vitae constituti. — — Pacuvius Duloreste: Non vetet animum aegritudine in re crepera confici.“ Sic Mercerus: libri: aegritudinem. Lachmannus suasit decet pro vetet.

22. Non. de num. et cas. p 497: »Accusativus positus pro Ablativo. — — Pac. Dulor.: Nonne etc.“

23. Non. p. 125: Incilare est increpare vel improbare. — — — Pac. Duloreste: Si quis etc.

24. Non. p. 510: Amiciter pro amice — — Pacuvius Duloreste: Nunc ne illum exspectes, quando amico amiciter Fecisti.“ Scriverius: „Fortasse: neillum i. e. nihilum.“ Bothius: Scribamus sane: Nunc nehilum exsp. Itidem Lect. Non. p. 276.

25. Non. p. 237: »Autumare est dicere. Pacuvius Periboea. — — Autumare est sperare. Pacuvius Duloreste: Aut etc.

26. Non. p. 262: Consternari significat deiici. Consternari rursum erigi. Pacuvius in Periboea: Consternatae animo, ex pectore hac et volvere Consilium subit omnes, quod de nata est modo. Qui pacto inimicis mortem, et huic vitam efferas. Idem Duloreste: Unde exoritur? quo consilio fretus, auxiliis quibus? Quo consilio consternatur? qua vi? cuius copiis?«

Confirmatur male dedit Stieglitzius pro consternatur, non intellecta vocabuli significatione, qua de re vide quae fuse disputat Hofm. Peerlkampius l. l. p. 153. Ceterum facile ex his cognoscitur poetae ubertas.

27. Non. p. 491: „Soniti, et sonu, pro sonitus et soni. Pac. Dulor.“ Pro quod Stieglitzius dedit quid, Bothio obsecutus, contra librorum fidem. cf. Hofm. Peerlkamp. l. l.

Similia sunt Euripidea Iph. Taur. 1273. 74.

28. Non. p. 477: „A d i u t a t u r pro adiutat. Pac. Dul.«

29. Non p. 179: »T o r t o pro tormento. — — — Pac. Dulor "

Commode ad haec Vossius in Castigat.: Valde, inquit, metuo, ne erret Nonius, cum t o r t o interpretatur tormento; nam quis veterum ita loquitur? Quare hoc potius dicit poeta, tibi torto distraham membra; h. e. dum torqueris e. q. s.

30. Non. p. 38: E l i m i n a r e extra limen eiicere. Pacuvius Dulor.: Ubi illic est? me miseram; quonam clam clam eliminat.« Id. p. 292: E l i m i n a r e est exire. — — Eliminare rursum excludere. Pacuvius Duloreste: Ubi ille est? me miseram, quoniam clamor eliminat."

I l l i c priore loco habent libri omnes, ut posteriore i l l e. Vossius: quam clamos eliminat, quam lectionem confirmari ait, quod uno in loco pro c l a m o r scriptum clam vos, Bothius: quam clamore eliminat (ille). G. Hermannus coniecit: quonam clanculo se eliminat; Bergkius: quonam clanculum se eliminat.

Ceterum quod quidam volunt, poetam nostrum quod in Duloreste inchoaverit persecutum Chryse et nescio qua fabula ad finem perduxisse, merum commentum puto, quum neque veterum scriptorum indicio ullo nitatur, neque ullum eius rei in fragmentis est indicium. Quamquam argumenti quadam similitudine cum Duloreste coniunctam fuisse Chrysen minime nego. Sed plura de hac re si concessum fuerit dicemus alias.

III. Iliona.

Hanc egregiam tragoediam num ex Graeco exemplo expresserit Pacuvius prorsus ignoramus. Argumentum Hyginus fab. 119. servavit, quod narratur sic. „Priamo Polydorus filius ex Hecuba quum esset natus, Ilionae filiae suae dederunt eum educandum, quae Polymestori regi Thracum erat nupta, quem illa pro filio suo educavit, Deiphilum autem, quem ex Polymestore procreaverat, pro suo fratre educavit, ut si alteri eorum quid foret, parentibus praestaret. Sed quum Achivi Troia capta prolem Priami exstirpare vellent, Astyanacta, Hectoris et Andromachae filium, de muro deiecerunt, et ad Polymestorem legatos miserunt, qui ei Agamemnonis filiam, nomine Electram, pollicerentur in coniugium, et auri magnam copiam, si Polydorum, Priami filium, interfecisset. Polymestor lega-

torum dicta non repudiavit, Deiphilumque, filium suum, imprudens occidit, arbitrans, se Polydorum, Priami filium, interfecisse. Polydorus autem ad oraculum Apollinis de parentibus suis sciscitatum est profectus, cui responsum est, patriam incensam, patrem occisum, matrem in servitute teneri. Quum inde rediret, ut vidit aliter esse ac sibi responsum fuit, (putans) se Polymestoris esse filium, ab sorore Iliona inquisivit, quid ita aliter sortes dixissent. Cui soror, quid veri esset, patefecit, et eius consilio Polymestorem luminibus privavit atque interfecit."

Cum qua brevi Hygini expositione si reliquias comparamus, speciem quodam modo et formam fabulae possumus adumbrare. Atque in scena quidem acta non esse nisi illa quae sequuntur inde a verbis „Polydorus autem ad oraculum etc." facile intelligitur. Prior igitur pars narrata est in exordio aut ab Iliona aut quod malim ab umbra (ut in Euripidis Hecuba) Deiphili.

Pertinent ad hunc prologum ex fragmentis haec:

1. 'Ab eo
Depúlsum mamma paédagogandum áccipit
Repótiali lácte (?).

De perfido hospitio, quo exceptus sit Polydorus:

2. Sed hí cluentur hóspitum infidíssimi.

Sequebatur celeberrimum illud. Primo mane Deiphili, Polydori loco interfecti, umbra apparet Ilionae dormienti. Qui quum inhumatus esset proiectus sepultura ut se afficiat petit a matre: Cic. Tusc. 1, 44. (Orell.)

3. Máter, te appelló, quae curam sómno suspensám levas,
Néque te mei miserét: surge et sepeli natum (tuúm) —

(„Haec quum pressis et flebilibus modis, qui totis theatris maestitiam inferant, concinuntur, difficile est, non eos, qui inhumati sint, miseros iudicare")

prius
Quàm ferae volucresque —

(„metuit, ne laceratis membris minus bene utatur; ne combustis, non extimescit":)

Neú reliquias sic meas siris, dénudatis óssibus
Tétra sanie délibutas, foéde divexárier.

Quo viso quum esset experrecta Iliona perturbata iterum cupit audire eadem. Cic. Acad. pr. 2, 27.:

„Quid Iliona somno illo, Mater te appello, nonne ita credit filium locutum, ut experrecta etiam crederet? Unde enim illa:

Age

4. Adstá: mane: audi: iteradum eadem isthaéc mihi!

Num videtur minorem habere visis, quam vigilantes fidem?"

Statim Ilionam ut corpus inquireretur sepulturaeque traderetur curasse vel ex Ciceronis verbis, quoniam filium locutum credidisse eam dicit, concludere licet, et ex iis, quae hac de re ad eam nuntius retulerit, hoc videtur reliquum:

5. . Aút stagnorum humórem rimarém, loca. *)

Iam lugente filium Iliona Polydorum conveniebat redire. Quod responsum acceperit, patrem occisum, matrem in servitute teneri, aliter dicit se invenire:

6. Quos égo ita ut volui offéndo incolumes —

Quem Iliona, quam vere dixerit Deus incipit docere:

7. Ne pórro te error, quí nunc lactat, máceret.

Ac patriam quidem aut iam esse captam aut ut capiatur esse prope:

7. Profécto aut inibi est, aút iam potiuntúr Frugum.

Etenim non suum eum esse sed Hecubae filium suumque fratrem:

8. Quá tempestaté Paris Helenam innúptis iunxit núptiis
'Ego tum gravida explétis iam fere ád pariendum ménsibus;

Pér idem tempus Pólydorum Hecuba pártu póstrémó parit.

---

*) Fortasse etiam huc spectant quae leguntur apud Festum p. 265 M.: ruspari est quaerere crebro, ut hoc versu indicatur:
Et ego ibo ut latebras ruspans rimer maritimas." Ita Scaliger: cod. rimeram aptimas.

Huc retulerim equidem etiam illud:

9. — Blándam hortatricem ádiugat
Voluptátem,

in quo quis adiugarit dubium est, neque minus, qualis intelligatur voluptas. Ad verba Hygini: „ut si alteri eorum quid foret, parentibus praestaret“ respiciens dixerit aliquis, Hecubam, quum Polydorum Ilionae pro filio daret educandum, ad alia (preces fortasse) adiunxisse voluptatem quae inde nasceretur quod, etiamsi alteri eorum quid accidisset, superessct tamen aut qui revera esset aut qui haberetur Priamides. Quae voluptas quin blanda hortatrix possit vocari nemo dubitabit. Potest tamen, et nescio an melius, voluptas haec referri ad coniugium illud, quod legatorum unus qui esset orator, Polymestori cum Agamemnonis filia fore praeter auri magnam copiam erat pollicitus. Quod si rectius quis putaverit, non repugnabo equidem, si quod nos hoc loco posuimus referri malit ad fabulae exordium.

Iam de ulciscendi modo venit in deliberationem. Et Ilionae sunt verba haec:

10. Di me étsi perdunt, támen esse adiutam éxpetunt,
Quum príusquam intereo spátium ulciscendí danunt.

Et eiusdem fratris approbantis consilium:

11. Fac úti coepisti: hanc óperam mihi des pérpetem:
oculis tráxerim.

In quo versu traxerim verbo quid facerent quum nescirent, alius aliter emendare conati sunt, quorum quidem coniecturas afferemus infra. Nobis nihil mutandum videtur recteque habere traxerim. De ulciscendi modo consilia conferunt Iliona et frater. Polydorus consilium proposuerat „privandi Polymestorem luminibus.“ Ilionae probatur, et addito, ut probabile est, a Polydoro, quo hoc fieri vellet modo, illa: Tu, inquit, fac ut coepisti tua me semper ope adiuves: oculis ego traham (vel traxero) i. e. placido et leni vultu eum devinciam et tenebo: hac scilicet ratione consilium exsequar.

Eodem nescio an sit referendum illud:

12. Cur illaqueetur hic? Mecum altercás? tace.

Polymestoris quid agatur nescientis videntur esse verba:

13. Ibo ád eam ut sciscam quíd velit. — Valvaé sonunt.

Iam in Ilionam incidit torvis, quamvis contrarium studeat simulare, oculis saevum animi exprimentibus consilium. Haec enim ad eam Polymestoris coniecerim fuisse verba:

14. — Quíd me obtutu térres, mulces laúdibus?

At illa nefandum scelus quod patrarit pulcherrimo illo versu obiicit:

15. 'Occidisti, ut múlta paucis vérba unose obnúntiem.

Non sine pugna res intus agitur, ut ex Polydori narrantis sequitur verbis his:

16. Repúgnanti ego porro húnc vi detraxi úngulum; quem quum dicat hunc monstrasse sine dubio putandus est annulum, credo, Deiphili, ut esset facinoris in eum commissi documentum.

Sumpto demum de Polymestore supplicio probabile est nuntium eorum quae fore oraculum responderat malorum fuisse delatum. Ac de morte quidem Priami in hac fabula narrata non desunt indicia. Primum enim huc spectare puto Servii duos locos ad Virg. Aen. 2, 506. et 2, 557., quorum prior sic habet. „De morte autem Priami varie lectum est. Alii dicunt, quod a Pyrrho in domo quidem sua captus est, sed ad tumulum Achillis tractus occisusque est iuxta Sigeum promontorium: nam in Rhoteo Aiax sepultus est: tunc eius caput conto fixum Pyrrhus circumtulit. Alii vero, quod iuxta Hercaei Iovis aram extinctus sit dicunt — — — et hanc opinionem plane sequitur Vergilius, licet etiam illam praelibet, ut suo indicavimus loco.“ Alter est hic: „iacet ingens litore truncus] quod autem dicit litore, illud, ut supra diximus, respicit, quod in Pacuvii tragoedia continetur.“

Secundum Pacuvium igitur Servius ait Priamum a

Pyrrho in domo sua captum, ad Achillis tractum tumulum occisum iuxta Sigeum promontorium „iacuisse, ut dicit Virgilius, ingentem litore truncum, avulsumque humeris caput", quod conto fixum Pyrrhus circumtulisset. Iam vero in qua Pacuvii tragoedia narrata haec sint si quaeras, de nulla alia poteris cogitare, nisi de Iliona. Nam ne forte de brevi per occasionem de hac re in nescio qua Pacuvii fabula facta mentione cogites, prohibent ipsa Servii verba. Neque vero quod ex Servio elicuimus exiguae est confirmationi Hygini testimonium, cuius in hac re non minima est auctoritas. Dicit autem Hyginus (fab. 243.), Ilionam „propter casus parentum suorum" ipsam sibi mortem conscivisse. De quibus casibus, quum oraculum mox eventuros eos respondisset, hoc loco conveniebat afferri nuntium. Denique quod superest fragmentum:

17. Quí velox supérstitione cúm vecordi cóniuge,

aptissime potest fuisse insertum verbis, quibus nuntius Priamum cum coniuge et natis ad aram confugisse enarravit, ut est apud Virgilium Aen. 2, 512. sqq.

Exitus igitur fabulae fuit is, ut mortem ipsa sibi inferret Iliona. Fratrem puto speraverat fore ut regem reciperent Thraces. Huc enim retulerim verba:

18. . Usi honóre credo hunc scéptrum patientúr poti,

quamquam priora verba huius versus quid sibi velint difficile est dictu.

Tam diris facinoribus patratis totque illatís calamitatibus dixit aliquis de hostiis, quibus vates aliquis infernos deos coelestesque dignaretur placare:

19. Quis deós infernos, quíbus coelestes dígnet decorare hóstiis.

Notae ad Ilionae fragmenta.

1. Festus p. 281 (Müll.): Repotia postridie nuptias apud novum maritum cenatur, quia quasi reficitur potatio. Pacuvius in Iliona: Ab eo depulsum mamma paedagogandum accipit appotalis libet.«

Ita habet Cod., nisi quod liber pro libet inesse testatur H. Keilius in Mus. Rh. 1848 p. 624. Vox appotalis multum vexavit inter-

pretea. Scaliger voluit r e p o t i a l i s l i b e r, quod explicare studet Turnebus Adv. XIII, 25. C. O. Müller.: „Ab eo Depulsum mamma paed. acc. Repotiali lacte — ita volebam, inquit, haec legi, interpretatione petita ex Hyg. f. 119: „„Priamo Polydorus . . . . . educavit."« Itaque repotiale hac intellexi Ilionae nutrices mammas, quae post Hecubam Polydorum alebant.« Vereor tamen equidem, ne audacior sit coniectura. Nobis aliud in mentem venit. Sed priusquam quod sentio dicam, videamus locos, in quibus veteres de repotiis locuti sunt. Cum nostro loco consentit fere Porphyrio ad Horat. sat. II, 2, 60, qui explicat repotia: diem post nuptias, neque aliter Gellii locus se habet (2, 24). Multo vero alia Donati ad Terent. Phorm. I, 1. 6. et Acronis ad Horat. l. l., est ratio, quibus »repotia dicuntur septimus dies, quo nova solet nupta redire ad parentes suos." Ausonii illud ep. 9, 50.: „Coniugioque dapes aut sacra repotia patrum« dubium est, num sit ille Donati et Acronis dies septimus intelligendus an festus aliquis dies propter natum puerum denuo agendus. Repotia igitur vides in duas pluresve accipi sententias. Atque nostro loco quum propria sua significatione appareat non valere vocem, in quam sententiam sit dicta iudicare nobis integrum est: modo de lectione constaret. De hac igitur inquirendum est. Ac valde equidem dubito, num repotiale lac possint dici nutrices Ilionae mammae, ut omittam, quod vix ac ne vix quidem possit intelligi, unde, si vera esset lectio, corruptela haec prorsus inaudita sit orta. Immo vero non repotia coenaturum Iliona acceperat Polydorum, sed a r e p o t i a l i s est l i b e r; quamquam in voce l i b e r haereo paululum, quam dixerit aliquis de Libero posse intelligi. Quidquid est, hoc videtur certum, sine repotiis rem agi, in utram libet hanc vocem velis accipi sententiam. Neque vero ab umbra Deiphili, siquidem ad exordium illud pertinet Deiphiloque recte tribuitur, istiusmodi rei quae tantae ipsi futura erat calamitati, apte tali verbo mentio fieret. Recte autem si repotia non habentur Liber dicitur arepotialis, quum in eius potissimum honorem instituantur συμπόσια. Ex a r e p o t i a l i s autem levissima mutatione fieri potuit a p p o t t a l i s. *)

2. Non. 88: C l u e t, nominatur. — — Pacuvius Iliona: Sed haec cluentur hospitum infidelissimi."

Vossii mss. pro h a e c habent hi, quod Iunius dedit in marg. Metrum requirere i n f i d i s s i m i Bothius monet. H i sunt Polymestor et qui forte cum eo conferebantur perfidia insignes fabulosi.

3. Ad verba „priusquam ferae etc.« intelligendum esse »lacerent«,

---

*) Neque est cur in vocula α cum adiectivo conglutinata haereas: multa poeta Graecorum more effinxit: et latinum exemplum est a m e n s.

aut simile quid, ex Ciceronis verbis apparet. Saepissime de hac scena apud veteres incidit mentio.

Horatius sat 2, 3, 60. 61. Fufium quendam olim ebrium Ilionam ait edormisse, Catienis mille ducentis „Mater, te appello!« clamantibus. Ad quae sunt Porphyrionis verba haec: »Hic Fufius Phocaeus tragoediarum actor fuit, qui quum vellet Ilionam dormientem exprimere, ut ad filii Polydori exurgeret vocem, in scena obdormivit." Eadem fere habet Acro ad hunc locum, Ad Ciceronis pro Sextio 59. verba: »emergebat subito, quum sub tabellas subrepserat, ut mater te appello dicturus videretur« memorabilis est Schol. Bobiens. locus (p. 307 Orell.), quem quum ad scenicam qualis fuerit apud Romanos rationem cognoscendam, ut illa Ciceronis, quae supra posuimus, ad Pacuvii versus addita verba, haud exiguum conferat, totum appono. „Intulerat, inquit, commemorationem conspiratae cuiusdam multitudinis adversus dignitatem suam, instigante videlicet Appio Claudio praetore, quem scimus fratrem P. Clodii fuisse. Deinde post haec intulit versum de fabula Pacuviana, quae sub titulo Ilionae fertur. In ea est quippe argumentum ita dispositum, ut Polydori (Deiphili) umbra secundum consuetudinem scenicorum ab inferiore aulae parte procedat, et utatur hac invocatione matris suae, quam sordidatus et lugubri habitu, ut solent, qui pro mortuis inducuntur, filius implorabat. Verum sub hoc exemplo intelligi vult Appium Claudium male sibi conscium et populo graviter offensum, obscure solitum venire ad spectacula, ne iratae multitudinis impetus experiretur. Sic ergo veniebat, inquit, ut solent umbrarum figmenta subrepere.".

4. Bothius Columnam secutus hoc fragmentum Ennio dedit, cuius invenio causam aliam nullam, nisi quod paulo ante apud Ciceronem est Ennii nomen. — Posterioribus verbis: iteradum e. q. s. utitur Cicero etiam ad Att. 14, 14 et Tusc. 2, 19; sed pro isthaec videtur dixisse ista

5. Non. p. 382: Rimari dicitur scrutari, quaerere. — — Pacuvius Atalanta: — — — Accius Ilione: Aut stagnor. . . „Accius in libris est: Accuius Leid. Pacuvius Rothius.

6. Non. p. 124: Inibi pro sic, et mox. — — — Pacuvius Iliona: Profecto etc. Frugum i. e. Phrygum. Qui potiuntur sine dubio sunt Achivi. — In libris est: tam iam, Lipsius Ant. lect. 4, 17: aut iam; Hadius Tursell. 3, 382: Pr. haut in. est: tam iam p. Fr.

8. Hos tres versus laudat Cicero de Orat. 3, 58, et initium primi Orat. 49. Quos quamquam neque ex qua sint fabula neque cuius poetae Cicero indicavit, huc tamen referri vel ipsa docemur argumenti ratione.

Contra librorum fidem in 1. versu verborum ordinem voluerunt immutare; Lachmannus: Q. tempestate Helenam Paris; Bothius: Q. Paris tempestate Helenam.

Ad »innuptis nuptiis« cf. Eurip. Hel. 698: γάμον ἄγαμον.

In 2. versu requiri Bothius dicit fui, et in fere putat latere.

Iliona quum non ad solum fratrem loqui putanda sit, bene potuit dicere Hecubam peperisse Polydorum, licet ipse adesset et ad hunc potissimum eius essent verba.

Ceterum non est praetereundum hoc loco Ciceronis (de Orat. I. l.) de his versibus iudicium. De generibus enim dicens: Aliud, inquit, (vocis genus sibi sumit) molestia: sine commiseratione grave quoddam et uno pressu ac sono obductum: (seq. v.)

9 Non. p. 75: adiugare adiungere. Plautus Chryse.... idem Iliona: Blandam etc. Plauti nomen° per errorem hoc loco inductum esse vix est quod moneam.

In libris est: voluntatem; Mercerus habet: voluptatem, cf. Grotius l. saepius c.

10. Non. p. 104: expetunt, pro volunt, et p. 97: danunt pro dant. Posteriore loco legitur: petunt, et: quod prius.

11. Festus p. 217 (M.) perpetem pro perpetuo dixerunt poetae. Pacuvius inliona (l. in Iliona): Fac etc.

Bothius traxerim explicat = tulerim, gestarim. Düntzerus (v. Zeitschrift f. Alterthumswiss. 1838 p. 59) legi vult: te axim = si hoc modo semper te invenio, oculis mihi carior eris. C. O. Müllerus ad h. l. dedit transaxim, »eo sensu, ut sit pro futuro exacto: Oculis, i. e. nutu, eam transegero."

Bergkius Ephem. Hal. 1842 p. 234 traxerim tuetur, ut post perpetem aliquid excidisse suspicetur: et . . in . . . Ut luminis auras perpetem (oculis traxerim).

Uno versu omnia coercenda duxi. Nam Festi in afferendis poetarum versibus mos videtur esse is, ut plerumque, nedum semper, si aliquo modo sententia includatur, nisi uno versu non utatur pro exemplo. Quod si recte observavimus, haud exiguo hoc ipso argumento confirmatur nostra explicandi ratio.

12. Non. p. 470: altercata est, passivum.

Libri habent meum, ed. 1480: mecum.

13. Non. p. 505: „sonunt etiam inde manavit. Ennius Andromache aechmalotide — — — Iliona: Ibo ad eam etc." Aldina habet: Accius Iliona, Iunius in marg.: Pacuvius Iliona. De Attii Iliona quum praeter aliquot Nonii libros nullum apud veteres exstet certum indicium, vix potest esse dubium, quin ex Pacuvii Iliona sit hic versus.

14. Paulus Fest p. 144 (M.): mulcere enim mollire sive lenire est. Cf fragm. 11, cui aptissime respondet, licet Paulus non indicet fabulae nomen

15. Non. p. 183: »unose, simul.«

16. Festus p. 375 (M.): Ungulus Oscorum lingua anulus.

17. Festus p. 372 (M.): »Vecors est turbati et mali cordis.« In cod. est: veloci, pro quo Müllerus vult legi velox. A Scriverio et Bothio hoc fragmentum est praetermissum.

18. Non. 475: „poti pro potiri.«

Varie leguntur priora verba huius fragmenti. In Merceri edit. sic exstat: Usi honere credo adhuic sceptrum patientur poti, ex quo Mercerus emendabat:

Tu si conere, credo avitum sc. p. p.

Mediol.: Ut si honore; ed princ.: Usi honore; Leid. Bamb.: Usi onere.

19. Non. p. 98: „dignet, dignos putet.«

Supra versus illos tres ex Cicerone allatos (de orat. 3, 59) recte Ilionae a nobis esse tributos, comprobatur etiam Servii in Aen. 7, 320. loco, cuius haec sunt verba: „Cisseis: regina Hecuba filia secundum Euripidem *) Cissei, quem Ennius, Pacuvius et Virgilius sequuntur.«

Ceterum quod Düntzerus l. l. quinque illos versus, quos Cicero servavit Tusc. 1, 16:

'Adsum atque advenio Acherunte vix via alta atque àrdua,
Pér speluncas sàxis structas àsperis pendèntibus
Màxumis, ubi rigida constat cràssa caligo inferum,
'Unde animae èxcitàntur obscura úmbra, aperto alti òstio
'Acheruntis fálso sangui, mórtuorum imàgines;

ad nostram fabulam vult pertinere, mihi non probatur. Quamquam convenire non negaverim, tamen Ennianum omnino videntur sapere ingenium, vulgoque Ennius ex Euripidis Hecubae principio vertisse putatur. Cf. G. Hermann. ad Eur. Hec. init.

Extremum est, ut quae fuerit nostri poetae in sermone loquendi ratio, quae minus usitata verba usurpaverit, quaeque de grammaticis videantur notatu digna strictim dicamus. De etymologia igitur ut prius dicamus, notabilis sane est Pacuvii in derivandis verbis ratio. Ac substantiva quidem multa inveniuntur in fabularum reliquiis in tas et tudo exeuntia, quibus hic illic sermonis gravitas mirum quantum augetur. Ex quibus quae notentur digna sunt visa praeter cetera haec:

---

*) Eurip. Hec. v. 3.

ProtervitatemTeuc. 12 (Bothe)
discorditate [1]) Herm. 4.
concorditatem [2]) ibid. 11.
grandaevitas ibid. 18.
famulitas Atal. 8.
unanimitatem Chrys. 20.

poenitudine Teuc. 6.
vastitudine ibid.
vanitudine Dul. 14.
temeritudine ibid. 30.
geminitudinem Atal. 7.
prolixitudinem Dul. 24.
orbitudine [3]) ibid. 20.
anxitudo Herm. 13.
lassitudinem Nipt. 10.
mollitudine ibid.
lenitudo ibid. (Cic. Tusc. 5, 16.)

In or exuntium eorumque postea non ita usitatorum exstant haec exempla: nigror Dul. 26. (inc.), aegror et macor Perib. 20. (v. Lachmann. ad Lucret. 6, 1132.) Contra consuetudinem posteriorum scriptorum dixit lamentas (Herm. 8.) pro lamentationibus, armentas, arvas (inc. 26.). — Itiner plerumque nominat. et accus. dixit, genit. iteris (cf. Atal. 14, Dul. 21, Med. 12; inc. 38.) Domuitionem dixit Herm. 22.; triportenta inc. 42.

Ad declinationem quod attinet, hic Iovis usum fuisse eum discimus ex Excerpt. ex Anonym. gram. ap. A. Maci auct. class. V. p. 151.; et hic torrus ex fr. inc. 43. In genit. sing. et nominat. plur. quartae quae dicitur declinationis saepissime i vocula terminavit verba: parti (Atal. 13.), flucti (Chrys. 14.), aesti (ibid. 16.), soniti (Dul. 27.). Ossûm (fort. ossuum) dixit in Chrys. 17. eo more, quo veterum quosdam et hoc ossum et hoc ossu protulisse ait Priscianus 6, p. 710 (P.). Genitivum vero plur. secundae declin. saepius in um quam in orum exiisse vel ex reliquiis contenderim. Insignia exempla sunt haec, Atal. 10.: „parentum incertûm investigandûm gratia" et Chrys. 5.: „— amici maiorum meûm, Consiliûm socii, auguriûm atque extûm interpretes, Postquam pro-

---

[1]) Discordiae Att. Phoen. fr. 2. [2]) Concordiam Enn. Cresph. 8.
[3]) Orbitas dixit Herm. 18.

digiùm horriferùm, portentùm pavor." Omnino tunc temporis nondum omni ex parte videtur stetisse declinatio. Nam nominativum quidem plur. secundae decl. multo etiam post Pacuvium saepe in s exiisse plurimis exemplis probant inscriptiones, *) quamquam, quod sciam, in nostris libris Pacuvii reliquias exhibentibus huius rei haud inveniuntur vestigia, nisi quis (qui) et is pronomina velis huc referre (v. infra). — Ex graeco sermone pauca transtulit, veluti campter Atal. 24. (siquidem recte ita legitur), prologium inc. 19., alcyon (alcedo) Teuc. 2. (inc.), spira inc. 23., nisi forte ab antiquo hoc vocabulum latinae linguae fuit usitatum. Voce sexus (Atal. 5.) naturam habitumque, quam Graeci vocent ἕξιν, significari testis est Festus p. 334. (M.).

Ex adiectivis insolentiora notasse sufficiat:

copem (a copia) Perib. 27.
scium (rerum) Teuc. 11.
cicur, incicur, incert: 11, 10. (cf. cicurare inc. 8.)
indigem (liberûm) Teuc. 4.
floreus Ant. 10. (fort. florus cf. Liv. Andr. Lycurg. 23.; Att. Bacc. 8. 9.)
sparteus (a sparto) Nipt. 8., inc. 23.
scrupeus (a scrupo) Perib. 2.
scruposus Nipt. 3.
septuosus Ant. 11.
trabica (navis) inc. 25.
tenebrica (sepe) Dul. 10.
inanimus Ant. 11.
largificus Dul. 26. (inc.)
horrifer Chrys. 5.

---

*) V. Ritschel. Mus. Rhen. IX. p. 156. seqq. Cf. ibid. V. p. 76. 160. 464. 606. VI. p, 614; et eiusd. Mon. epigr. tria p. 18 seqq. ex. gr.: Minucieis Rufeis, Viluries, Viluris, Italiceis finis, vireis, magistreis, magistres, ministris; contra (M. Rh. IX. p. 159) vireis lectei, magistri Laverneis.

tardigradus Ant. 11.
flexanimus Herm. 17. Teuc. 1.
cornifrontes (armentas) Antiop. supra 6.
incurvicervicum } incert. fab. 5.
repandirostrum }

quae duo posteriora ex praepositione et duobus vocabulis dure videtur struxisse Pacuvius Quintiliano 1, 5, 67.

Pronomina „quis“ (qui) et „is“ plurali numero in es tum temporis exiisse argumento est Med. 19.: „Ques sunt es? — Ignoti, nescio ques ignobiles.“ *) Quoius secundum Gell. 4, 17. genitivus est apud Pacuvium. Quoi dixit Livius Hom. Od. (VIII, 139.); ceteri casus fere ut in vulgari posterioris aetatis usu leguntur nunc apud nostrum. Ceterum quis etiam feminino genere usurpatum esse ab „Ennio et Pacuvio et ab ipso Terentio“ testis est Pompeius commentario ms. in Donatum apud Rhunken. in Iul. Rufinian. p. 262. — Vestrorum Atal. 21., videtur esse pro vestrum. Insigne est, quod habet Festus p. 325. (M.): „sas, inquit, Verrius putat significare eas — — idem cum ait sapsam pro ipsa nec alia — — Pac. in Teucro: Nam Teucrum regi sapsa res restibiliet.“ Praeter is (ἵς) igitur etiam sus **) (sa, su(m); ὅς, ἥ, ὅ(ν): ipsus, ipsa, ipsum) apud priscos Latinos fuisse in usu vel ex hoc exemplo concludas. Hinc, ut obiter moneam, tum, quod est idem ac sum, in demonstrativae particulae abiit usum, ad quam refertur quum (τὅ (τε), ὅ (τε)). Omisso s vel aspero spiritu efficiebatur os, um (im, em), am, ex quibus conglutinatis cum vo-

---

*) Eadem ratione dixit Terentius Eun. 2, 2, 38. hisce pro hice, Plautus illisce nom. plur. 2. decl.: Most. 510: illisce hodie hanc conturbabunt fabulam; v. 935: quid illisce homines quaerunt apud aedis meas. V. Ritschelium Mus. Rhen. IX. p. 156.

**) Ennius apud Festum l. l: Nec quisquam sophiam, sapientia quae perhibetur,
In somneis vidit priu'quam sam discere coepit.

cula ecce fiebat eccos, eccum, eccam etc. — Addam verbum de que (ce) particula voci plerus addi solita. Pacuvius enim non adiecta que dixit pleros Dul. 2., plera Teuc. 22. Apud ceteros illius aetatis tragicos hoc vocabulum quod sciam non invenitur.

Adverbia in e desinentia raro sunt in usu apud nostrum poetam. Longe plurima in ter exeuut, veluti:

amiciter Dul. 36.
aequiter Atal. 20.
minitabiliter Ant. 6.
debiliter inc. 27.
properiter Teuc. 25.
(propere Ant. 4.)

Insolentius etiam Ennius dixit: proterviter, ignaviter, inimiciter, iracunditer, superbiter, temeriter, praeclariter, torviter, puriter, reverecunditer, miseriter, prosperiter (v. Priscian. 15. p. 1010. P.)

Facul habetur Teuc. 7. et inc. 29.; facile semel Perib. 14. Inibi est (= in eo est) dixit poeta in Iliona 9. — Tamen particulam Perib. 13. significare tandem ait Nonius (p. 406.), quamquam quo hoc fiat modo quamque vere dixerit vix perspicitur. Recte autem Philargyrius in Virg. Georg. 4, 37. quoniam inc. 31. pro postquam dicit esse, quia quoniam est: quum iam.

De verbis quamquam multa sunt memorabilia, tamen ne nimius sim in hac re pauca dicam. Ac primum quidem ex prisca illa aetate, in qua parum excultus erat sermo, videntur superesse apud nostram formae huiusmodi:

	quibus quidem respondent posteriores:
liquit Herm. 16.	linquit
tagit Teuc. 10.	tangit
tagam Herm. 14.	tangam
adiugat Chrys. 5. Il. 3.	adiungit
abiugat Med. 14.	abiungit
deiugat Chrys. 20.	deiungit
attulat } Med. 20 (cf. Att.	attollat
attigat } Andr. 14.)	attingat.

Amplificatione eiusmodo primitivae syllabae, opinor, usi sunt partim ad minuendam quae videbatur inesse aspe-

ritatem partim ad augendam vim actionis qualitatem distinctius definiendam. Hinc est etiam quod d a n u n t dixit poeta noster Il. 6, et t e tinerim Herm. 19., et tetinisse Med. 12., cuius reduplicationis quae sit vis ac potestas vide quae docte disputavit Lobeckius „de Syllabis duplicatis." *) — Ad coniugationem (quam declinationem dixerunt veteres) quod attinet, notabiles sunt imprimis formae hae:

averruncassere Med. 4.
averruncassint Chrys. 1.
turpassis Dul. 14.
accepso Teuc. 24. (c a p s i t Att. Meleag. 17.)
axim Perib. 10.
faxis Dul. 14.
faxsit inc. 24. (cf. Att. Philoct. 3.),

quarum omnium eadem videtur esse ratio. Etenim vix potest esse dubium, quin ad formanda tempora modosque, priusquam f u e r e in hanc usum verteretur, (e)so, (e)sim (quod idem valet ac s u m vel (e) s u m, **), ab e s e vel e s s e) in omnibus verbis adhibuerint Latini prisci. Hinc duplicem effinxerunt declinandi modum: a litteram (in derivatis maxime verbis) retinebant, unde tur p a s s i m vel tur p a s s o i. e. turpa-eso, contr. turpâso, quod postea duplici s scribebant: in aliis (primitivis maxime vocabulis) s o, s i m cum consonanti primitivae syllabae coniungebant; faxo (faxim), axo (axim) i. e. facso, acso, capso, accepso. Hinc Pacuvius etiam infinitivum fecit: averruncassere, quum averruncas s o ei esset quasi praesentis indic. loco; debebat, opinor, averruncasse (averunca-ese, averruncâse). — Iam de significatione si quaeras, averruncassere (Med. 4.: Possum ego istam capite cladem

---

*) Alia Graecorum more formata exempla sunt: memordi, peposci, pepugero, occcurrit, speponderant, sciciderat, quae ex antiquis affert Gellius n. a. VI, 9 (Hertz).

**) Augustum Imperatorem s i m u s pro s u m u s dicere solitum esse tradit Sueton. vit. Aug. c. 87.

averruncassere) est pro praesenti vel aoristo graeco: cetera perfecti coniunct. aut futuri II. habent vim, videntur tamen non multum a praesentis coniunct. significatione recedere.

Secundae pers. sing. perf. terminatio asti Pacuvio videtur fuisse usitatior, si hoc ex reliquiis concludere licet: consimiliter dixit extinxti Teuc. 5. et dixti Med. 15. — Futuri in iam, ies etc. si excipias restibiliet Teuc. 13., in quo nisi per iocum poterat restibilibit dicere, quod sciam non invenitur exemplum: expedibo exstat bis: Perib. 24. Atal. 4, quibo Dul. 34. (audibo dixit Ennius Telam. 3.).

Potestur dixit Pacuvius Chrys. 21., ut Attius queuntur (inc. 27.) et quitus sum (Troad. 2.), illum morem secutus, quo etiam posteriori aetate coeptus esse, si ad infinitivum passivum addebatur, solebant dicere.

A fore verbo i. q. fuere praeter hunc ipsum infinitivum et quibus postea etiam usi sunt formis apud nostrum exstat fuat Dul. 18.; fuas dixit Livius Hermiona, et fuat Ennius Hect. Lust. 2.

Praeterea quae notentur verba videntur digna haec:

flacciscunt, silescunt } Chrys. 14.
gliscit (gaudium) Perib. 5.
certiscent Chrys. 22.
mitiscere Dul. 23.
fatiscar ibid. 34.
lapit (lapit cor cura, a lapide) Perib. 19.
nobilitat Dul. 7.
inciiet (increpet) ibid. 28.
grandiri (fruges) ibid. 23.
incertat ibid. 3.
hostio Teuc. 12.
clupeat (tegit) Herm. 16.
populavit (popularem reddidit) Chr. 13.

repeda (recede) inc. 26.
opacat inc. 9.
rimare Atal. 19.
senet Perib. 28.
nigret Chr. 8.
sonunt Il. 14.
resonit Dul. 4.
fúlgere Med. 13.
fervit Dul. 26. (inc.)
móneris Arm. iud. 7.
mónerint Chr. 1.
despondit (praes.) Dul. 12.
stridunt ibid. 27.
confieri Herm. 15.
poti (pro potiri) Il. 8.
clepit Herm. 21.
cluentur Il. 4.
bount Med. 2.
betere (baetere, bitere (?)) Med. 21. et saep.
paedagogandum Il. 2.

